ORATIO.

HUMILEM REPRÆSENTATIONEM, SUPPLICEMQUE AMPLECTENS DEPRECATIONEM, IN QUA NOMINIS AC TITULI MYSTICÆ, BENIGNÆQUE ANIMARUM PASTRICIS ORIGO ET PROPRIETAS

IN BEATISSIMA VIRGINE MARIA

MULTIS PROPONITUR

Ac demonstratur rationibus: ejusdemque approbatio Tituli omnium nomine Capuccinorum (sed præcipuè Provinciæ Bæticæ) suppliciter exoratur

A SS.MO D. N. PAPA PIO VI.

PER R. P. Fr. HIERONYMUM JOSEPHUM

EGABRENSEM SEU DE CABRA,

Habitualem Sacræ Theologiæ Lectorem, Conventuum Hispalensis et Cordubensis olim Guardianum, primumque etiam Romanum Custodem, Archiepiscopatus Hispalensis, et Episcopatus Cordubensis, ac Asturicensis Synodalem Examinatorem, Sanctæ Inquisitionis Qualificatorem, utriusque Bæticæ eorumdem Provinciæ Capuccinorum actualem Ministrum Provincialem, et per Catholicum nostrum Hispaniarum Regem Missionum Indiarum Occidentalium Comissarium Generalem.

MATRITI: MDCCLXXXXVI.

IN TYPOGRAPHIA VIDUÆ D. JOACHIMI DE IBARRA

CUM LICENTIA.

Ego autem Apostolicæ Vestræ Sedis expecto sententiam: et supplico, et obsecro Vestram Sanctitatem, ut mihi opem ferat justum vestrum, et rectum appellanti judicium, et jubeat ad Vos accurrere, et ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem::: ut pro his quoque remunerationes accipiat Sanctitas Vestra à liberali et munifico Deo.
Ita Theodoretus in Epist. ad Leonem Pontificem.

BEATISSIME PATER.

Minorum Bætica Capuccinorum Provincia virtute illustrium semper parens fœcunda Filiorum, nostra tempestate, præsentique in sæculo Isidorum genuit Hispalensem, insignem meritò inter præclariores Alumnum. Hic nempe ex nobilissima Medina-Vincetelo familia ortus, litteris, virtutibus, ac rebus gestis conspicuus, salutis æternæ viam cunctis ostendens, nostræ Religionis splendorem adauxit, eximii concionatoris inter omnes nomen adeptus, Missionarius-

que effectus undequaque famosus. Famosus utique, nam ob eximiam, verèque singularem erga Matrem Dei devotionem, et innumeras in ejus honorem habuit conciones, et quamplurimas Confraternitates erexit, librosque in lucem edidit aliquos devotione mirabiles. Famosior tamen: quia sicut Enòs mundi in exordio cœpit invocare nomen Domini (1): seu (ut Hugo exponit Cardinalis (2)) primus invenit imagines quasdam, per quas excitaretur devotio orationum: sic etiam et iste magnæ Dominæ, ac Reginæ nostræ nomen cœpit invocare novum: atque omnium primus ipsius imagines quasdam invenit, per quas in posterum ejusdem orationum excitaretur devotio.

Isidorus namque Hispalensis Ordi-

(1) Genes. 4. 26.
(2) Supra hunc locum.

nis Capuccinorum Provinciæ Bæticæ Filius omnium fuit Christi-Fidelium primus, qui anno Domini millesimo septingentesimo tertio die octava Septembris, in qua sacratissimæ ejusdem Virginis Nativitas concelebratur, et primo illi (ut infra exponemus) ab Ecclesia solemniter decantatur: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum: ipsam gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam in ipsamet Civitate Hispalensi publicè ac solemniter cœpit invocare, colere, deprecari, ac prædicare sub dulcissimo, novoque nomine, et titulo mysticæ animarum Pastricis (1): primusque illius

(1) Hæc vox *Pastrix*, quam multoties in hoc repetere opusculo non dubitavimus, licet in aureæ Scriptoribus ætatis, Auctoribusve, ac etiam in Dictionariis notum nobis fuerit minimè inveniri, ipsam attamen multis in aliis non inferioris

imagines quasdam picturæ, ac scul-

notæ infra citandis reperimus. Ex quibus Andreas Pinto Ramirez, vir eruditissimus, ad illa verba Canticorum 1. 7.: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum: sic num. 67. pagin. mihi 45. ait: »*Pasce* »*hædos tuos*: qui nimirum è toto grege præcipuè »puellæ commendati, quia molliculi, quia curæ »facilioris. Solere vero id temporis virgines gre»ges custodire ex Rachel, et filiabus Jethro jam »alii: nec id Hebræis insolitum dixi in Prolego»menis. Sic etiam apud Homerum Odyss. 12. ubi »de vitulis candidis."

(*Textus Græcus.*)

Deæ autem Pastrices sunt
Nymphæ pulchricomæ Phaetusaque, Lampatiæque
Quas peperit soli, Hyperioni Diva Næera.

Nonnus *Dionys.* 47. ad puellam.

(*Textus Græcus.*)

Tuum gregem pascens cum Pastore conjuge.

Unde obiter illucidatur illud Psalmi 44. num. 15.: *Proximæ ejus afferentur tibi.* Ex Hebræo legunt aliqui *Pastrices ejus*: quales, credo, puellas illas ancillulas, de quibus supra. Et infra in Paraphrasi eamdem repetit vocem, idemque faciunt alii, quos deinceps commemorabimus. Hincque Horatius in Arte Poetica vers: 70.

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

pturæ adinvenit, per quas orationum devotio animarum fidelium amplius deinceps excitaretur: has item primus proposuit adorandas fidelibus, eamdemque divinam, ac mysticam Pastricem Mariam sibi in suarum missionum Patronam elegit, atque à prædicta die in vexillo post gregum fidelium ipsam laudantium vestigia sub pulcherrima Pastricis imagine eam egredi, abireque fecit, ut juxta Pastorum tabernacula suos illa, potius quam ipse, hædos peccatoresve pasceret.

Erravit ne in his? Minimè gentium.

Et Quintilianus lib. 2. cap. 6. ait: Verba à vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed et afferunt orationi majestatem aliquam non sine delectatione. Nam auctoritatem antiquitatis habent, et quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Denique Gellius Noct. Attic. lib. 12. cap. 13. etiam sic consonat, dicens: Consuetudo omnium Domina rerum, tum maximè verborum est.

Anima viri sancti (inquit Spiritus Sanctus [1]) enuntiat aliquando vera, quam septem circunspectores sedentes in excelso ad speculandum. Spiritualis autem (ait Apostolus [2]) judicat omnia. "Spirituales igitur et Apostolici viri „(verba sunt illustrissimi Melchioris „Cano [3]) omnia discernunt, hoc est, „supernaturalia et naturalia, spiritua„lia et corporalia, non singula, sed „ea omnia, quæ ad salutem fuerint „neccessaria." Sic absdubio noster Isidorus ad majorem Sanctissimæ Virginis gloriam, suarumque profectum missionum, ac fidelium etiam animarum salutem, cœlesti (ut piè creditur) consilio, seu inspiratione ipsam gloriosissimam Dei Matrem sub prædicto nomine, titulo, ac gestu mun-

(1) Eccles. 37. 18.
(2) 1. Corinth. 2. 15.
(3) De loc. lib. 2. cap. 8.

do adorandam proposuit, sibique suarum Missionum Patronam elegit.

Effectus quam citò probavit, seu potius demonstravit virtutem. Nam Isidorum sequuti fuerunt alii hujus, aliarumque Provinciarum Capuccinæ familiæ Missionarii quamplurimi, ac brevi intervalo temporis interjecto, in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, et omnis populus, tribus, et linguæ Divinam cœperunt agnoscere, adorareque Pastricem. Omnes illam Capuccini prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

Innumeræ enim ipsius dulcissimæ Pastricis efformantur imagines: in ejus honorem eriguntur altaria, capellæ, ac etiam Ecclesiæ ædificantur: ad ejusdemque laudem, quamplurimæ instituuntur Confraternitates, nullo oppug-

nante Doctore, nullo resistente Prælato, nullo contradicente Episcopo, plaudentibusque omnibus, indulgentias plures concedentibus etiam Romanis Pontificibus, et quod magis est, videntibus cunctis innumerabilia, quæ à Domino operabantur miracula ad beatissimæ invocationem suæ Genitricis sub prædicto nomine, ac titulo dulcissimæ animarum Pastricis. Ex quibus insigniora non pauca coram Notario apostolico juramento firmata ipsemet refert Pater Isidorus ejus in libro Hispali anno millesimo septingentesimo quinto prælo commisso, cui titulus: *La Pastora Coronada* (1), seu Pastrix Coronata. Quibus si infinita tentaremus adjungere alia, quæ deinde per innumeras cæterorum Capuccinorum Missiones ad ejusdem piissimæ invocatio-

(1) Lib. 2. cap. 10.

nem Pastricis Deus signa patratus est, et portenta, terræ pulverem, maris guttas, ac cœli stellas facilius numerare possemus. Quorum fama omnium, exteris etiam gentibus nota, catholicus, piissimusque Hispaniarum Rex Philippus V. permotus, primum festum Octavæ ejusdem supernæ Pastricis, ut quot annis Hispali in perpetuum solemniter celebraretur, magnificentia dotare regia minimè dubitaverit.

Rebus tandem sic stantibus, lætus mortuus est noster Isidorus, quia vidit faciem suæ Pastricis amantissimæ, tot fere quot sunt christicolæ super servos illuminantem. Et ut etiam piè credimus misericors ipsa Pastrix ejus inter oves locum illi præstare dignatur, dum ipsius imaginem ad ultimum semper usque momentum retinens in manibus, in sui gloriosissimi Patrocinii vesperis postridiè Novembris

nonas anni millesimi septingentesimi quinquagesimi dulcissimo ejusdem amplexu spiritum Deo hilariter reddidit.

Mortuus est autem Pater iste Pastricis nostræ Mariæ inventor, cultor, ac concionator eximius; sed quasi non est mortuus, similes enim sibi ejusdem Divinæ cultores Pastricis plurimos inter Capuccinos reliquit post se. Hi vero nunc omnes, ac præcipuè tota utriusque Bæticæ ipsorum Provincia, præsente præeunte Provinciali per Reverendissimum Patrem Nicolaum à Bustillo in Romana Curia pro Hispaniarum Provinciis Generalem Definitorem à Sancta Sede Apostolica ipsius Sanctissimæ Pastricis, quam suarum agnoscunt Patronam Missionum, officium postularunt. Concessit illud benigniter Sacra Rituum Congregatio, ac citra approbationem tituli.

Et en, Beatissime Pater, en quo modo, ac quare risus, lætitiaque nostra concessionis officii dolore miscetur negatione approbationis tituli. Cur ergo non approbatur titulus tanto ab omnibus plausu receptus? Forsitan quia nomen, titulusque Pastoris duplici tantum in sensu communiter sumitur, et usurpatur. Primus autem pro illis, qui in agris vitam degentes, greges reverà custodiunt, ipsosque pascunt, quales fuerunt Abel, David, Jacob, multique alii veteris Testamenti viri valdè notabiles. Secundus vero pro animarum pastoribus, cujusmodi fuerunt Apostoli ac Discipuli Domini, modòque summi sunt Ecclesiæ Pontifices, Episcopi, Parochi, et Sacerdotes, de quibus Sanctus dixit Ambrosius (1): "Pastores sunt Sacer„dotes."

(1) Lib. 2. in cap. 2. Luc.

Verum neutro horum in sensu beatissima Virgo videtur Maria prædictum nomen, ac titulum valere Pastricis habere. Non enim in primo, nam à teneris annis, à parentibus in templo præsentata, ibique custodita, castissimo postea Joseph desponsata, ac semper dunc vixit ejus in domo misnisterio intenta: dulcissimum Filium Jesum deinde in prædicatione, ac peregrinationibus usque ad passionem, mortem, et sepulturam sequuta, & denique cum novo Filio adoptivo, Joanne scilicet Evangelista, usque ad ejus felicissimum ex hac vita transitum semper manens, tempus minimè habuit, quo greges in agris pasceret. Nec etiam secundo in sensu nomen, titulusve Pastricis ipsi Virgini Matri videtur convenire valere. Licet enim superemineat dignitate omnem humanam, Angelicamque creaturam: ta-

men officium ministeriumve Sacerdotis, Parochi, Episcopi, aut Pontificis minime habuit. Neutro igitur ex prædictis sensu Pastricis, nomen, et titulus ei potest adaptari. Hincque forte à sacra Rituum Congregatione desiderabilis non fuit approbatus titulus.

Verumtamen non erit in Dei Ecclesia alius sensus pius, catholicus et verus, in quo nomen, titulusque mysticæ bonæque animarum Pastricis sine errore, et cum proprietate Beatissimæ possit concedi Dei Genitrici Mariæ? Videtur quod sic; et ita noster credidit Isidorus, propter quod loquutus fuit. Ita etiam et nos credimus propter quod et loquimur: jubenteque nobis Deo: Loquimini ad petram: ad petram utique nunc loquimur [1]. Utinam ergo sicut olim egressæ sunt

(1) Numer. 20. 8.

aquæ largissimæ, bibebantque de spiritali consequente eos petra [1], et nobis ad petram loquentibus similiter omninò contingat: atque aqua sapientiæ salutaris de petra à nobis hoc percussa scripto, aqua (inquam) sapientiæ salutaris succesoris Petri effussa largissimè omnes bibant fideles, de spirituali, ac mystico hujus nominis sensu, titulique bonæ animarum Pastricis gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ.

Conceditur nempe quodam modo ipsi ab ejus devotissimo, et doctissimo illo Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis Magistro, et Doctore, Beato scilicet Alberto Magno: conceditur et similiter à Sancto Antonino, Archiepiscopo Florentino, et à doctissimo Joanne Lorino, ab aliisque non inferioris notæ eruditissimis

(1) 1. Corinth. 10. 4.

viris infra citandis. Sed ubinam isti purissimam Dei Matrem invenere Pastricem? Profectò scilicet in Scripturis Sanctis, in Patribus et Doctoribus antiquis, atque in Communi Catholicæ Ecclesiæ sensu: ubi licet tale nomen, titulumque juxta materialem litteræ sonum non repererint: invenerunt vero sensum, remque per ipsum nomen, et titulum indicatam Pastricis. Non invenere juxta litteram occidentem: repererunt tamen secundum spiritum vivificantem.

Propterea surrexerunt hi, aliique filii ejus et beatissimam prædicaverunt, Pastricemque acclamaverunt (1). Vir ejus, Spiritus, scilicet, Sanctus, et laudavit eam: Multæ Filiæ congregaverunt divitias: tu superegres-

(1) Proverb. 31. 29.

sa est universas. Ita sanè Filia Martha, Filia Gertrudis, Filia Clara, Filia item Teresia, "et multæ aliæ fi-
»liæ (inquit Seraphicus Doctor Sanc-
»tus Bonaventura (1)), et multæ aliæ
»Virgines Sanctæ, et multæ animæ
»justæ congregaverunt divitias vir-
»tutum et gratiarum, divitias meri-
»torum et præmiorum; sed Maria
»universis divitiis supergressa est ex-
»cellentissime universas."

Hinc et nos adjungemus, de ipsa in Psalmis invenimus scriptum (2): Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Ex Hebræo legunt aliqui: "Pastrices ejus" (ait An-
»dræas Pinto Ramirez (3)). "Tuccius
»(inquit Joannes Lorinus (4)) exponit

(1) In specul. cap. 8.
(2) Psalm. 44. 15.
(3) Sup. Cant. 1. vers. 8. num. 67. pag. 45.
(4) Super hunc Psalm. locum.

„Pastrices ejus [1]: contendens intelligi
„de virginibus Pastricibus comitanti-
„bus Sponsam, quæ sint ovium ejus
„Magistræ [2], ac propterea amicæ,
„sodales, cognatæ etiam: quemad-
„modum gener Moses Soceri Jethro
„pascebat gregem; Jacob avunculi,
„socerique Laban; David patris
„sui; Raquel item sui: et apud Poe-
„tas in Trinacria septem boum ar-
„menta, oviumque totidem greges
„Solis Filiæ ipsius ac Neæræ Phaetusa
„Lampetiæque Nimphæ. Fateor (pro-
„sequitur ipsemet Lorino) in Can-
„tico pastoritiè, bucolicèque dici
„multa de Sponsa, et frequens ac fa-
„miliare Scripturis esse Pastoris no-
„men, pascendique verbum pro Eccle-
„siastica gubernatione, nec ineptè sic-

(1) En quomodo, voce *Pastrix* supradicti utuntur Doctores.
(2) Sup. hunc Psalm. locum.

»ut Princeps Pastorum Christus, ac »magnus Pastor et absolutè Pastor á »seipso quoque nominatur; posse Ec- »clesiam, et Mariam, necnon suo mo- »do alias virgines Pastrices appellari."

Sicque etiam ad nostrum reddentes intentum, Martha, Gertrudis, Clara, Teresia, aliæque multæ modo suo conveniente sexui virgines fuere Pastrices. Martha enim dum Massiliæ in locum à viris remotum cum aliquot oviculis, honestissimis scilicet fœminis se recepit, ubi summa cum laude pietatis, et prudentiæ diu vixit. Gertrudis cum primum Rodardensis Monasterii, deinde Elpidiani Præses electa, quadraginta annorum spatio, ea charitate, prudentia, et regularis observantiæ studio munus obivit, ut Cœnobium religiosæ perfectionis domicilium videretur. Clara dum Asisii in Umbria quemadmo-

dum Sanctus Franciscus Fratrum, sic ipsa Sacrarum Sororum Collegium instituit: cum quibus in Ecclesia Sancti Damiani vixit admirabili Sanctitate, duos et quadraginta annos summa cum laude Monasterium usque ad mortem gubernans. Teresia tandem cum severiorem veterum Carmelitarum regulam, Deo afflante, et Pio Quarto approbante primum mulieribus, deinde viris observandam proposuit, duo supra triginta Monasteria ædificavit; eaque, quoad vixit, cœlestis ejus doctrinæ pabulo, pascens, enutrivit, perfecit, ac solidavit.

Sic ergo istæ, aliæque multæ virgines fuerunt animarum suo modo Pastrices, comitantes Spiritus Sancti Sponsam Mariam; quæ ut fuerunt ovium suarum Magistræ, ac propterea amicæ, Sodales, cognatæ, ac etiam Filiæ, ideo, ut proximæ ejus

afferuntur ipsi, et post eam adducuntur regi. "Offeruntur regi virgines „(Sanctus inquit Bernardus (1)), sed „post eam nam primatum sola ven„dicat sibi." Post eam utique quia etsi pascentes animarum greges, istæ aliæque multæ filiæ congregaverunt divitias: Maria vero ut Pastrix, Reginaque Pastricum universis divitiis supergressa est excellentissimè universas. Pastrix igitur Maria omnium Regina Pastricum.

Pastrix saltem quia Regina: nam Regibus tam à sacris quam à profanis Scriptoribus nomen titulusque tribuitur Pastorum, sic apud Isaiam (2) de Rege legimus Cyro: Qui dico Cyro, pastor meus es: sic etiam Agamennonem pastorem vocat (3) populo-

(1) Serm. *Signum magnum.*
(2) Cap. 44. 28.
(3) Apud Ludovicum de Sotomayor in Cant. 1. 6.

rum Homerus: similiterque ipsum sequentes Plato, Aristoteles, Philo Judæus, et alii quamplures Reges Pastores appellant. Unde si Pastores quia Reges, potius Regum Regina Pastrix erit.

Pastrix utique quia Regina Pastorum, Reginaque Apostolorum. "Licet autem Beatissima Virgó Maria
»Sacramentum (ordinum seu ordinis
»intellige) non receperit (inquit post
»Beatum Albertum Magnum Sanctus
»Antoninus (1)), quidquid tamen vel
»dignitatis vel gratiæ in ipsis con-
»fertur de hoc plena fuit. Confertur
»enim in eis septiformis gratia Spi-
»ritus Sancti, qua omnifaria ple-

(1) Part. 4. tit. 15. cap. 16.

Istam meritò Sancti Antonini auctoritatem longè, latèque transcribimus, quia totius hujus nostri medullam opusculi fere in ipsa invenimus. Quod etiam absimili non de causa cum aliis aliorum Sanctorum, atque Doctorum non semel infra facimus.

»na fuit. Item cum tria sint in Sacra»mento Ordinis, scilicet dignitas mi»nisterialis, potestas spiritualis, ad»ministratio executionis: hæc autem »tria Beata Maria æquipollenter ha»buit et excellenter. Ministri Ecclesiæ »habent dignitatem beneficialem per »caracterem excellentiæ: Beatissima »autem Virgo habet coronam regni Ec»clesiæ Militantis, et Triumphantis: »unde et summus Ministrorum Papa »dicitur Servus servorum Dei: hæc »autem est Regina et Domina An»gelorum, et Imperatrix totius mun»di. Item in Ministris est potestas »spiritualis temporalis delegata à »Deo, et subdelegata et vicaria. In »ipsa enim est plenitudo potestatis »cœlestis ex auctoritate ordinaria. »Item in Ministris est executio ligan»di et solvendi per usum clavium. »In ipsa enim est dominandi legiti-

»ma potestas ad ligandum, et sol-
»vendum per imperium. Et sic quid-
»quid est in Ordinibus dignitatis et
»gratiæ constat Beatæ Virgini Ma-
»riæ minimè defuisse. Et ne videatur
»specialibus dignitatum vel virtutum
»Ordinibus caruisse: cum Ostiariis
»habuit mundorum introductionem,
»et immundorum exclusionem: cum
»Exorcistis dœmonum expulsionem:
»cum Lectoribus Prophetiarum expo-
»sitionem: cum Acholytis illumina-
»tionem: cum Subdiaconibus doc-
»trinæ Apostolicæ ostensionem: cum
»Diaconibus verbi Divini conserva-
»tionem, et postea cum Evangelis-
»tis enarrationem. Cum Sacerdoti-
»bus Corporis Christi formationem,
»contrectationem, et conjunctionem.
»Ipsa à culpis, et pœnis per Filium
»suum nos absolvit. Habet et officia
»Episcoporum aliquo modo spirituali,

»cum consecrat templa et altaria, »quæ ad ejus honorem fiunt: con-»secrat virgines interius confirman-»do, et hujusmodi. Habet Beatissi-»ma Virgo cum Papa omnium Ec-»clesiarum sollicitudinem, potestatis »spiritualis plenitudinem, privilegia-»torum actuum universitatem." Et infra etiam ait (1): "Habuit quodam-»modo et dignitatem Apostolatus. »Nam etsi non fuit de numero duo-»decim Apostolorum à Christo de-»putatorum ad prædicandum, ins-»truendum, et regendum Ecclesiam »Dei; fuit tamen Magistra eorum; »et ideo dicitur Lucæ 2. quod Maria »conservabat omnia verba hæc, ut »scilicet tempore suo instrueret Apos-»tolos, et Evangelistas de multis, »ut de gestis in suo conceptu, et »partu, et infantia Salvatoris, quæ

(1) Cap. 19. §. 9.

"illi non viderant. Præterea si Joan-
"nes Baptista dicit: Ego sum vox
"clamantis in deserto. Joannis 1. qua-
"si diceret: non tantum prædico vo-
"ce, sed totus sum vox exultationis:
"ita quod omnia mea, vita, victus,
"vestitus, et locus prædicant pœni-
"tentiam. Ita Beatissimæ Virginis
"Mariæ omnia prædicant innocen-
"tiam. Si ergo Joannes habet donum
"et gratiam prædicationis, quia est
"vox clamantis in deserto: multo
"magis Beatissima Virgo habet hoc
"donum Apostolatus: quia est vox
"clamantis in cœlo. Proprietas Apos-
"tolorum insinuata à Christo est: Vos
"estis lux mundi. Matthæi 5. Sed mul-
"to magis Beata Maria, Cujus vita in-
"clita (ut canit Ecclesia) cunctas illus-
"trat Ecclesias. Pavit etiam (1), et

(1) *Pavit etiam, et pascit Ecclesiam continuè:* ergo et ecclesiæ fuit, continuèque Pastrix est.

»pascit Ecclesiam continuè benedicto »fructu uteri sui: pane Angelorum »in ipsa formato, in Sacramento al- »taris nobis ministrato, ut Pastor »bonus." Vel ut nos antea diceba- mus, ut Pastrix Regina Pastorum, Reginaque Apostolorum.

Ut Pastrix denique, quia Regina etiam Angelorum. His enim, quo- rum ministerio summus Pastor Deus humanum gregem custodit, et pas- cit, necnon nomen, ac titulus tribui- tur Pastorum. De ipsis itidem (si Hie- ronymo Laureto credimus (1)) apud Isaiam legitur (2): Nec Pastores re- quiescent ibi. Namque "Supergressa »est Maria cunctas filias (Seraphicus »repetit Bonaventura (3)) Supergres- »sa est in natura, supergressa est in »gratia, supergressa est in gloria uni-

(1) In Sylv. alleg. Verb. *Pastor.*
(2) Cap. 13. 20. (3) Ub. Sup. cap. 10.

„versas Filias, id est, universas ani-
„mas, et universas intelligentias An-
„gelicas."

Ideo, inquam: Surrexerunt Filii ejus, et Beatissimam prædicaverunt, Pastricemque item conclamaverunt: *Vir* ejus et laudavit eam, alibi ipsam collaudans, eique dicens (1): Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum. Cui hæc dicta nisi Mariæ? Ecclesiam sequimur universam Catholicam, Apostolicam, Romanam, quam, utpote quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, omnes debent sequi Doctores Magistri atque Theologi.

"Verum hic operæpretium est ad-
„vertere (Joannis Driedonis à Tur-
„nhout doctissimi Lovaniensis Theo-

(1) Cantic. 1. 7.

»logi verba sunt [1]) quod quæ sub »tropis et metaphoris, aut etiam aper- »tè de magnificentia, decore, pul- »chritudine, et Sanctitate Ecclesiæ »in Sacris litteris dicuntur, ea omnia »non absurdè in universis Ecclesiis »per universum orbem gloriosæ Do- »minæ Virgini attribuuntur: propter- »ea quod inter omnia Ecclesiæ mem- »bra sit excellentissima, cui totum est »collatum quidquid gratiæ cæteris »membris per partes est distributum. »Ipsa est Virgo primum sterilis, dein- »de et Mater fœcunda pariens Fi- »lium, in quo benedicuntur omnes »gentes. Ipsa est, per quam Ecclesia »habuit, quidquid boni habuit, dum »ipsa virginitatis gloria permanente, »huic mundo in tenebris sedenti lu- »men æternum effudit. Ipsa est vitæ »genitrix, mater salutis nostræ, ma-

(1) De Regul. et Dog. Sacræ Script. lib.3. cap. 4.

„ter misericordiæ, quippe quæ edidit „nobis Christum, qui est vita nos- „tra, salus nostra, et misericordia et „justitia nostra: Ipsa est, propter „quam solam ad Ecclesiam in hâc „vita olim dictum est: Ecce tu pul- „chra es amica mea, et macula non „est in te. Ipsa sola mulier est plena „gratiarum, et inter omnes mulieres „benedicta, et gratiæ inventrix, An- „gelo attestante: Ave gratia plena, „Dominus tecum, benedicta tu in „mulieribus, invenisti gratiam apud „Deum. Ipsa invenit gratiam, quam „olim per mulierem Evam perdidit „humanum genus. Eva dedit nobis „pomum de ligno mortis, comedi- „mus, et facti sumus mortui omnes: „Maria dedit nobis fructum de radice „Jesse, fructum ventris sui Jesum (1);

(1) En obiter, quomodo Virginem Matrem Pastricem generis agnoscit humani.

»comedimus, et factum est dulce »super mel ori nostro. Maria invenit »gratiam, non quia ipsa est gratiæ »in humano genere reparatrix, sed »quia est ejus, qui gratiam humano »generi reparavit, genitrix; benedic-»ta est plusquam mulieres cæteræ »Maria, benedictus est et fructus »ventris ejus. Verum non quia ipsa »benedicta, ideo benedictus est fruc-»tus ventris sui: sed quia ille fructus »benedictus eam prævenit in bene-»dictionibus, ideo ipsa benedicta. »Ipsa ergo quia mater est ejus, à quo »venit et in se et in cæteros omnes »benedictio. Hinc Sancti Patres non »horruerunt appellare illam Mediatri-»cem nostram, non quæ nos Deo »Patri reconciliaverit, et redemerit, »scientes unum solum Mediatorem »Jesum, per quem ipsa Maria filia »Adæ fuit à peccato libera, sanc-

„tificata, et Deo Patri reconcilia„ta (1): sed talem, per quam salus ve„nit in mundum, per quam descendit „gratia, et misericordia in universum „genus humanum, per quam gratia „habuit ad nos accessum, quæ et as„sidua est advocata nostra apud Fi„lium suum Jesum, qui unus est Ad„vocatus apud Deum Patrem. Hinc „ergo factum est, ut antiquus Eccle-

(1) Huic fortè antiquo Theologo inaudita, aut infensa fuit pia de Deiparæ præservatione sententia, quam hodie in Ecclesia omnes ferè tenent Scriptores atque Doctores: propterea ergo de ejusdem Sanctificatione Virginis Matris sic se explicat. Si vero nunc scriberet, absdubio enim diceret: Scientes unum solum Mediatorem Jesum, per quem ipsa Maria filia Adæ fuit à peccato præservata, in primo animationis instanti Sanctificata, et Deo Patri semper singulariter in amicitiis conjuncta. Vel similiter ut nostris hisce temporibus omnes sese produnt Scriptores Theologi; consequenterque ad ista sua supradicta verba: Ipsa est propter quam solam ad Ecclesiam in hac vita olim dictum est: Ecce tu pulchra es, amica mea, et macula non est in te, &c. Quæ profectò cum macula originali subsistere minimè valent.

„siæ ritus in honorem hujus gloriosæ „Dominæ recitat, canit, et prædicat „Scripturas, quas secundum littera„lem sensum ipsa Sacræ Scripturæ „series indicat esse dictas de tota Ec„clesia Christi (1)." Quem reverà ritum ferè ab initio observavit Ecclesia circa prælaudata Canticorum præclarissima verba: Ipsamet etenim triplici ad minus temporis in opportunitate prædicta tribuit, applicatque Sponsi encomia Beatissimæ Virgini Mariæ. In ejus scilicet Nativitatis festo, in ipsius Desponsationis officio, et in solemnitate Assumptionis ejusdem.

¡O quot, et quanta nobis hic offeruntur effanda! Quando Maria cum

(1) Cum ergo ex Scripturis ipsis, ex Patribus etiam, ac denique ex communi totius Ecclesiæ sensu meridiana luce sit clarius eamdem Ecclesiam fidelium Matrem esse omnium, atque Pastricem, idem de Beatissima Virgine proculdubio à nobis erit necessario dicendum.

adhuc esset parvula, jam jam placuit Altisimo, et de suis visceribus genuit Deum, et Hominem, prius mente quam ventre: quando nova hæc Eva jam etiam erat cunctorum mater viventium: quando ex materno claustro egreditur in mundum: quando de Dei templo egreditur in sæculum, ut cum Joseph desponsetur, ac desponsata de Spiritu Sancto concipiat, et pariat Salvatorem sæculorum: quando è mundo egrediens assumitur in cœlum (1), ut fiducialiùs pro nobis intercedat, nobis succurrat, nobisque faveat: triplici hac in occasione ei tamquam Sponsæ dicitur à Spiritu Sancto Sponso: Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum. Nimirum egredere de utero ma-

(1) Sic in Miss. Vigil. Assumpt. B. Mariæ.

terno in mundum. Egredere de Domini templo in sæculum. Egredere è mundo in Cœlum, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum.

"Quod autem dicit, ejusmodi est
»(inquit exponens Theodoretus (1))
»Te ipsam aspiciens, et dotes tuas
»considerans (pulchra enim es facta,
»et mulierum omnium formosissima)
»quæ tui sunt similes agnosce. Sin te
»ipsam ignoras, vestigia gregum ex-
»plora, et sequendo pasce, non oves
»solum, sed etiam hædos tuos in ta-
»bernaculis Pastorum. Vult enim be-
»nignus Dominus, ut non modo jus-
»tos, verum etiam peccatores omni
»studio, et cura complectamur. Non
»egent, inquit, qui sani sunt, Me-
»dico: sed qui malè habent. Et, non
»veni vocare justos, sed peccatores

(1) Sup. hunc locum.

„ad pœnitentiam. Et per Ezechielem „Prophetam. Numquid voluntatis meæ „est, inquit, mors impii? et non ut „convertatur à viis suis et vivat? Et „Beatus Apostolus Paulus de ipso: „Qui vult, inquit, omnes homines „salvos fieri, et ad agnitionem veri„tatis venire. Ideo vult Sponsam hæ„dos etiam pascere. Hædorum autem „nomine peccatores intelligit divina „Scriptura."

Hæc Theodoretus, quæ Pastrici nostræ Mariæ singularissimè convenire nullus sanæ mentis negabit. "Rupertus (scribit hic Cornelius Ala„pide (1)) hæc adaptat Beatæ Virgini, „quæ pulcherrima fuit omnium, non „tantum fœminarum, sed et creatu„rarum omnium. Singulari ex epithe„to illo: *Pulcherrima inter mulieres*

(1) In Cantic. hinc.

„(ait Michael Ghislerius [1]), quo „Sponsam hoc versu exornatam con„spicimus, planè omnibus fit persua„sum, ea, quæ hic dicuntur, ad glo„riosissimam Dei Genitricem Ma„riam, specialiùs pertinere, quippe „quæ sola, et mulieres universas, et „quotquot purissimæ fuerint, sive „futuræ sint animæ, quæ nomen Spon„sæ Christi mereantur, pulchritudine „ita superet, ac sanctitate, sicut Sol „fulgore stellas superat omnes."

Illa enim (confirmantes prædicta adjiciemus et nos) ita tota pulchra sine macula, mulierum omnium, cunctarumque creaturarum formosissima, cujus pulchritudinem Sol et Luna mirantur, et jubilant omnes Filii Dei. Illa etiam cunctorum Mater viventium tam misericorditer omnes respiciens oves et hædos, justos sci-

(1) Sup. hunc locum.

licet et peccatores: ut meritò ipsam Sanctus Antoninus his collaudet verbis (1): "De Virgine Matre Sapientiæ »dici potest, quod habet curam de »omnibus. In cujus figura cum Elie»zer Procurator Abrahæ postularet à »Rebeca virgine pulcherrima, ut po»tum sibi daret, non solum ei obtu»lit potum aquæ, sed et camellis suis: »Sic Virgo pulcherrima mente et cor»pore non solum curam habet de »electis ratione utentibus, ut sitienti»bus procuret aquam gratiarum; sed »etiam de peccatoribus curam habet, »ut animalibus irrationalibus non pe»tentibus, nec desiderantibus aquam »gratiarum procuret."

Quod et elegantissimè Sanctus Bernardus præclarissimis hisce confirmat eloquiis (2): "Denique omnibus om-

(1) Part. 4. tit. 15. cap. 14. §. 3.
(2) Sermon. *Signum magnum.*

»nia facta est, sapientibus et insi-
»pientibus copiosissima charitate de-
»bitricem se fecit: omnibus miseri-
»cordiæ sinum aperit, ut de plenitu-
»dine ejus accipiant universi, cap-
»tivus redemptionem, æger curatio-
»nem, tristis consolationem, pecca-
»tor veniam, justus gratiam, Ange-
»lus lætitiam, denique tota Trinitas
»gloriam, Filii persona carnis huma-
»næ substantiam, ut non sit qui se
»abscondat à calore ejus." Hinc ergo jam nullus omnino mirabitur, quod tantæ, tam piæque hominum Matri cunctorum ex utero egredienti in mundum, è templo exeunti in sæculum, et de mundo etiam excedenti in cœlum à Sancto Spiritu dicatur Sponso: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum.

Consulto ei, post gregum vestigia imponitur abire. Solent enim magni, seu majores Pastores dum suis cum ovibus viam conficiunt, ipsas antecedere omnes, eis itinera, semitasque demonstrantes: Pastores vero minores, adolescentesve Pastores, (qui nostra in Hispania *Zagales* denominantur) post greges, ovesque pergunt omnes, ne una quidem deperdatur curantes, et ut cunctæ Pastorem magnum, cæterasque post ipsum iter facientes, sequantur et oves. Sic itidem mirabiliter, mysterioseque ad nostri textus intentum. Jesus Christus Dominus noster bonus est Pastor, ut ipsemet in Evangelio testatur dicens (1): Ego sum Pastor bonus: est etiam magnus Pastor, et quem vocat Apostolus ad Hæbreos

(1) Joann. 10. 11.

scribens [1]: Pastorem magnum ovium: est denique (ut ait Sanctus Petrus [2]) Princeps Pastorum, et Princeps Regum terræ, Pastorumque omnium maximus: sed magnus iste, maximusque ovium Pastor Dominus Jesus Christus (inquit ex ipso Evangelista Joannes [3]) Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Sua vero Mater, nostraque piissima Pastrix, in qua ipsemet Deus, et homo Christus Jesus æternus Pastor adjutorium fecit simile sibi, fuitque proinde, et nunc est pascendis in gregibus sua coadjutrix, seu adolescentula Pastrix, vel ut dicunt Hispani: *Su Zagala*: debet semper adolescentulorum more Pastorum post greges, ovesque pergere omnes magni Pastoris Christi, ne

(1) Cap. 13. 20. (2) Epist. 1. 5. 4.
(3) Ub. sup. v. 4.

una quidem pereat curans, et ut magnum cunctæ Pastorem, cæterasque sequantur illum sectantes oves. Ideo igitur illi à Spiritu Sancto imponitur, aptissimeque dicitur: Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos justa tabernacula Pastorum.

Immediatè enim antea prudentissima Mater, ac Sponsa dilectissimo dixerat Filio, dulcissimoque Sponso (1): Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Quibus cum verbis (ut ait Sanctus Bernardus (2)) "Prudenter »Sponsa postulat sibi indicari, ubi »ipse Sponsus pascat, et cubet me»ridiano fervore, parata (ut quidem »ex hoc intelligi datur) pariter pas»cere cum illo, et sub illo. For»tè etiam (doctissimus adjicit Ludo-

(1) In vers. ant.
(2) Serm. 32. In Cant. et apud Soto Mayor hic.

„vicus Sotomayor [1]) discere ab eo „cupiebat rationem, et modum rectè „pascendi, id est, pastoralem scien- „tiam, aut disciplinam, prout dece- „bat Sponsam magni illius Pastoris „charissimam, ejusque adjutricem, et „imitatricem in deducendis homini- „bus ad salutem." Cum ergo adoles-centulorum, adjuvantiumve Pasto-rum sit proprium, et Pastorem mag-num, et oves illum prosequentes sec-tari, rectissimè igitur Matri, tam-quam Pastrici adolescentulæ, magni-que Pastoris Filii Jesu Christi adju-trici, ac imitatrici, modum, ratio-nemque pascendi sibi convenientem ab ipso interroganti, et quærenti, respondetur et dicitur: Egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos justa tabernacula Pas-torum.

(1) Super hunc locum.

"Ac bene (nunc hic Michael affir»mat Ghislerius[1]) Gregres istos, cum »ad Matrem loquitur, *Tuos*, inquit: »quia per id, quod illis ipsa peperit »Salvatorem, iidem, qui Patris tan»tummodo erant, facti sunt etiam ip»sius, quæ Mater Pastoris esset, at»que salutis." Magni igitur Pastoris Mater Maria (nobis et nunc licebit inferre) non mercenaria, et quæ non sit Pastrix, cujus non sunt oves propriæ, et ad quam de ovibus non pertineat Christi; sed vere propriissimèque Pastrix, cujus oves Filii sunt propriæ, et ad quam de ipsius reverà pertinet ovibus.

Proinde ergò ipsi ex utero egredienti in mundum, è templo exeunti in sæculum, et à mundo abeunti in cœlum cura omnium Christi commendatur ovium, et à Spiritu Sanc-

(1) In Cantic. hinc.

to dicitur: Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum. Pasce non oves solum, sed etiam hædos tuos, pasce justos et peccatores, utrosque pasce vivens in terra, et transiens in Cœlum. Imperio hujus Sponsi vocis dulcissimi obtemperavit absdubio humillima, obedientissimaque omnium creaturarum Sponsa Maria: fuitque sollicita justorum et peccatorum Pastrix, dum viveret in humanis, estque nunc vigilantissima utrorumque Pastrix jam regnans in Cœlis.

Cupimusne in primis, Virginem Matrem, nostramque Pastricem, oves, et hædos, justos, et peccatores in terris videre pascentem? Aspicientes non immoremur, quomodo et à primævo suæ Conceptionis instanti, tenerioribus et in annis, vitaque etiam

in abscondita, indefessis, ferventibusque orationibus, irremediabilibus lachrimis, gemitibus ac inenarrabilibus omnes pascens, cunctorum hominum à Domino sollicitavit, invenitque salutem: ut eloquenter Sanctus hic demonstrat Bernardus dicens (1): "Hæc est enim, quæ totius »mundi reparationem obtinuit, salu»tem omnium impetravit. Constat »enim pro universo genere humano »fuisse sollicitam, cui dictum est: »Ne timeas Maria: invenisti gratiam, »utique quam quærebas."

Nec fuso hic referamus et calamo, quomodo in templo posita coetaneas puellas, ipsarum Magistras, templique Ministros, ac etiam Sacerdotes, verbo semper pascebat, pascebat et exemplo, spectaculum in utroque jam facta admirationis et

(1) Serm. 4. De Assump.

imitationis mundo, et Angelis, et hominibus. "Talis fuit Maria (ait Sanctus Ambrosius (1)) »ut ejus unius vita »omnium sit disciplina."

Hisque sic breviter prætermissis, Sanctam denuò audiamus Ecclesiam præfata Canticorum ipsi applicantem verba. Audiamus insuper Spiritum Sanctum exeunti Mariæ è templo, ut cum Sancto desponsetur Josepho, sic colloquentem, eique iterum dicentem: Egredere de templo in mundum, in terris videri, et cum hominibus conversari. Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce non oves solum, sed etiam hædos tuos, pasce justos, et peccatores, utpote quæ omnium misericors Pastrix es constituta. Egreditur ergo è Domini templo, et cum esset desponsata hæc

(1) De Virginibus lib. 2. post init. Et Ecclesia in Offic. Præsent.

dignissima Jesu Mater Maria Joseph, hunc utique pascebat justum, dilectissimum et sponsum tam in corpore, quam in spiritu, et corporalia ei alimenta ministrans, et spiritualia communicans innumerabilia dona, ut itidem notavit Sanctus Bernardinus, dum dixit [1]: "Amplius autem, quia »omnia quæ sunt uxoris, sunt viri, »credo, quod Beatissima Virgo totum »thesaurum cordis sui, quem Joseph »recipere poterat, ei liberalissimè ex»hibebat." Et post nonnulla: "Quan»tas (ait) cogitas exhortationes, conso»lationes, promissiones, illuminatio»nes, et æternorum bonorum revela»tiones recepit in transitu suo Joseph »à Sanctissima sua Sponsa Maria?". Hac de causa Beata Virgo, Joseph etiam Pastrix, ei proculdubio coope-

(1) Serm. de Sanct. Joseph. et apud Alapide in Proverb. 31. 12.

rata est ad omnem virtutem, gratiam, et gloriam, uti explicare pergit Sanctus Bernardinus(1): "Quomodo (sub-
»sequitur) cogitare potest mens dis-
»creta, quod tanta unione uniret men-
»ti tantæ Virginis aliquam animam,
»nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo Joseph fuisse
»mundissimum in virginitate, pro-
»fundissimum in humilitate, arden-
»tissimum in charitate, altissimum in
»contemplatione, &c." Taliter ergo justum pascebat Joseph ejus charissima Sponsa, cunctorumque sedula Pastrix Maria.

Verum enim vero postquam Angelus ipsam salutavit (2): Ave gratia plena, et quæ erat plena sibi (ut verbis utar Sancti Bernardi (3)) superve-

(1) Ubi sup.
(2) Luc. 1. 28.
(3) Serm. 2. de Assumpt.

niente in ea Spiritu Sancto, etiam facta est superplena, et supereffluens nobis, continuò, ut de plenitudine ejus accipiant universi, ac si illi ab ipso iterum Spiritu Sancto diceretur Sponso: Egredere è domo tua, de Civitate tua, et abi in montana post vestigia gregum, et pasce non oves solum, sed etiam hædos tuos, sic ab Evangelista nobis Luca proponitur, dicente [1]: Exurgens autem Maria in diebus illis (et egrediens certè è domo, de civitate) abit in montana cum festinatione in Civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Pascens videlicet ipsam, ac filium quem habebat in utero æternæ Verbo salutis, quod suo eadem virginali gestabat in claustro. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de

(1) Cap. 1. 39.

ore Dei [1]: hocque omnipotenti sermone, quo solo restaurantur universa, Pastrix Virgo pavit Matrem, pavit et Filium: Pavit ovem, pavitque hædum, ipsum ac statim per Verbi sanctificantem gratiam transmutavit in agnum. In agnum (inquam) ei ita similem, quem ipsam conceperat, cujusque eloquebatur virtute, ut de ejusdem plenitudine sanctitatis confestim accipiat et Mater.

Quare et factum est (sequitur Sanctus Lucas [2]) ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. "Vocem prior Elisabeth »audivit (Sanctus nobis enuntiat Am»brosius [3]), sed Joannes prior gra»tiam sensit. Exultavit infans repleta

(1) Matth. 4. 4.
(2) Vers. 41.
(3) In Luc. lib. 2. cap. 1. post init.

„est mater: non prius mater repleta „quam filius; sed cum Filius esset re„pletus Spiritu Sancto, replevit et „matrem." Atque ex hædo (subsequemur) ex peccatore, filiove iræ versus in agnum, in justum, in Prophetam, quo inter natos mulierum non surrexit major, exultavit, "uti subsaltant, „agni et vituli bene pasti" hic cum cæteris Cornelius exponit Alapide (1). Sicque exultans, simul ac exiliens fortè tum dixit (2): Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi facta per Mariæ vocem et verbum, per quod pascit hædos sibi à Spiritu Sancto Sponso commissos, ipsosque mirabiliter convertit in agnos. Unde illis rectissimè gratulatur Aloysius Novarinus (3), inquiens: "Felices hædi,

(1) Supra hunc locum.
(2) Psalm. 76. 11.
(3) De Umb. Virgin. num. 188.

„qui sub Virginis ducatu fiunt agni."

Insuper si hæccine, majoraque spectare contendimus, apertiusve videre, cum fortunatissimis Pastoribus transeamus usque ad Bethlehem (1), et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt illi festinantes (Sanctus sequitur Lucas (2)) et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio. Manhu, quid est hoc? quantum sapio, quantum capio. Quid est hoc? Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (3). Agnus qui occissus est ab origine mundi (4). Agnus qui occissus est, et redemit nos Deo in sanguine (5) suo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione;

(1) Luc. 2. 15.
(2) Vers. 16.
(3) Joan. 1. 29.
(4) Apocalyps. 13. 8.
(5) Ibid. cap. 5. 9.

et fecit nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes, et regnabimus super terram (1). Hunc ergo Agnum Dominatorem terræ, Agnum absque macula, recenter natum invenerunt Pastores pascentem inter lilia, Mariam scilicet, et Joseph (2).

Verum quid pascit? à quo ergo pascitur? Ad utrumque autem nobis Sanctorum respondet Ecclesia, dicens, et canens (3): Lacte modico pastus est, per quem nec ales esurit. Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. "Apud Mariam utique pascebatur (devotus affirmat Bernardus (4)) idque copiosius pro multitudine liliorum." En igitur Pastricem Virginem Matrem Mariam suum

(1) Isaiæ 16. 1.
(2) Sic Rupert. in Cant. lib. 2. cap. 1.
(3) In Offic. Nativ.
(4) Serm. de Aquæduc. circ. finem.

et Dei immaculatum pascentem Agnum, nostrique textus en itidem magna ex parte apertum, denunciatumque misterium. "Extitit autem
»(magnus ait parens Augustinus (1)) ip-
»si Virgini, ipse Filius, qui erat Spon-
»sus, ipse genitus, qui erat genitor,
»Mater Sponsa, et ipse quem peperit
»Christus Sponsus." Illa enim Mater fuit, ac Sponsa Christi, quæ (testibus Ruperto, Guillelmo, et ex iis Delrio apud Cornelium Alapide (2)) aspirans ad Christum suum, ipsum interrogat, ab ipso quærit, eique dicit: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Cum recens natus est, ex nonnullorum mente ipsemet exponit Alapide (3). Christus vero responsum præbens, ei

(1) Serm. 10. de tempore.
(2) In Cant. 1. 6.
(3) Super hunc locum.

dicit: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum. "Ac si „Christus ita cum ea loquatur (ex „Ruperto Abbate doctissimus expli„cat Ghislerius (1)), Si ignoras, id est, „cum non ignores te, et unde sis pul„cherrima inter mulieres, nec igno„rare potes, ubi pascam, et cubem: „ibi enim quiesco, unde tu pulchra „es, et beata, ipsaque fides, et humi„litas tua locus sunt requiestionis „meæ, quibus tu adeo es pulchra, „adeoque beata." Ad quæ omnia, si quæ nunc videmus adjungimus, Agnum scilicet, Filium, Sponsumque Christum ad ubera pascentem Matris, in ejusque cubantem brachiis, ipsa apparet Dei Genitrix, Pastrix omnium Pastorum, cunctarumque excellentis-

(1) Super hunc locum in Append.

sima Pastricum: quia mente et corpore, tam spiritualiter, quam corporaliter pascit Agnum Deum, Deique Agnum, et in ipso pascit universum.

Verumtamen inquiramus, perscrutemur et hoc. Peperit Filium suum primogenitum (Sanctus conscribit Evangelista Lucas (1)) et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio. "Quorsum hæc tam festinata re- »clinatio, ò puerpera Virgo, inter »præsepis palleas? (admirabundus quæ- »rit Ildephonsus de Flores (2)) Nonne »satius esset dilectissimum infantem in »sinu tuo fovere, in gremio tuo in- »ter brachia tua?" O magnum mysterium (Sanctorum canit (3) Ecclesia) et admirabile Sacramentum, ut

(1) Cap. 2. 7.
(2) In Eccles. part. 2. num. 769.
(3) In Offic. Nativ.

animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio! En ergo in illo ipsorum jam præparatam mensam animalium. "Vos igitur, qui Pastores »estis (magnus ajebat Gregorius (1)) »pensate quia Dei animalia pascitis." Et Dei etiam animalia pascit nostra omniumque Pastrix Maria. Erat utique venter ejus, dum tanto meruit esse gravidata fœtu, sicut acervus tritici vallatus liliis (2). Quando vero venit partus ejus, inter præsepii palleas illum tritici totum effudit acervum. "Ipse »Dominus Jesus (ait Augustinus (3)) »erat granum mortificandum et mul»tiplicandum. Granum illud tritici »(ut optimè se explicat Beatus Al»bertus Magnus (4)) potentialiter erat »acervus tritici, de quo scilicet gra-

(1) Hom. 17. in Luc. 10. ante medium.
(2) Cant. 7. 2.
(3) In Joan. tract. 51.
(4) Lib. 4. de Laudib. Beatæ Virgin.

»no, tanta spiritualis seges, fructi-»ficante Deo multiplicata est." Quid enim bonum ejus (Zacharias quærit Propheta (1)) et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? Ex his ergo suam, et nostram instruxit mensam mirabilis hominum Pastrix Maria.

Nam in ipsa, et per ipsam Sapientia ibi ædificavit sibi domum (2), ut animalia sua habitarent in ea: ibidemque paravit in dulcedine sua pauperi Deus Deum (3). Namque miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Missit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis, juxta quæ erat præsepium, mensaque animalium: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Ve-

(1) Cap. 9. 19.
(2) Proverb. 9. 1.
(3) Psalm. 67. 11.

nite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Vocatio enim fuit ista, insipientiumque invitatio animalium [1]. Ast sibilat denuò ad omnes, oves videlicet, et hædos, justos, et peccatores piissima omnium dicens et Pastrix: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini. Transierunt profecto: sanè convenerunt et omnes; omnesque pascuntur, omnes saturantur: et à generationibus Mariæ, omnes denique implentur. Concurrerunt bos et asinus; ac cognovit [2] bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui [3]. Confluxerunt Pastores; et populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: ambulantibus in regione umbræ

(1) Eccles. 24. 20.
(2) Isaiæ 1. 3.
(3) Isaiæ. 9. 2.

mortis, lux orta est eis. Cucurrerunt et Magi; ac impletum est illud Isaiæ propheticum eloquium [1]: Ambulabunt gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. Postremo in bobe et asino, in pastoribus, et Magis, utrumque populum Judæorum et Gentium pascit jam Pastrix cunctorum Maria.

Unde optimè fatur Sanctus Gregorius Nisenus [2]. "Præsepe bestiarum „est domus, in qua Verbum nascitur, „ut cognoscat bos possessorem suum, „et asinus præsepe Domini sui. Bos „autem est Judæus legi subjugatus; „asinus vero, animal oneribus ferendis aptum. Gentilis sub gravissimo „idololatriæ jugo gemens. Ordinarius „autem brutorum animalium cibus est

(1) Isaiæ 60. 3.
(2) De Nativitate Christi, et apud Alapide in Luc. 2. 7.

„fœnum. Producens enim (inquit Pro-„pheta) fœnum jumentis. Animal ve-„ro rationale pane vescitur: idcircò „ergo in præsepi, ubi pabulum bru-„torum poni solet, panis vitæ, qui „de cœlo descendit, proponitur, ut „animalia quoque rationis expertia, ra-„tionalem cibum participarent." Propterea itidem Sanctus apposité prædicat Bernardus, et ait[1]: "Clamat præ-„sepe eidem homini, qui jumentis „comparatus fuerat, pabulum minis-„trari. In mensa bestiarum (inquit „Chrisipus Jerosolymitanus[2]) pro-„ponebatur panis cœlestis, ut ex ho-„minum genere his, qui bestiales erant, „communicationem escæ mysticæ ex-„hiberet. Et Sanctus Zeno[3]: In sta-„buli præsepe deponitur scilicet Chris-

(1) Serm. 5. de Nativit.
(2) Serm. de Sanct. Mar.
(3) Serm. 3. de Nativ.

»tus, populorum Pastorem, pabulum-»que se esse contestans." Ac denique Sanctus Gregorius Magnus (1): "Na-»tus in præsepio reclinatur, ut fi-»deles omnes, videlicet sancta anima-»lia, carnis suæ frumento reficeret." Hoc igitur electorum frumento sapientissimè ab ipsa inter præsepii palleas collocato, ex tunc pascit prudentissima Pastrix Maria fideles omnes, cunctosque populos, in bobe, et asino, in Pastoribus et magis jam jam ad mensam ejus confluere incipientes.

Ut universo hominum felicissimo generi modo dicere valeat Sanctus Bernardus (2): "Intuere, ò homo con-»silium Dei: agnosce consilium sapien-»tiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore »aream rigaturus, totum vellus prius »infudit: Redempturus humanum ge-

(1) Homil. 7. in Evang.
(2) Serm. de Aquæ ductu.

»nus, pretium universum, contulit in »Mariam. Ad quid hoc? Fortè excusa»retur Eva per Filium, et querela vi»ri adversus fœminam deinceps sopi»retur. Ne dixeris ultra, ò Adam: Mu»lier quam dedisti mihi, dedit mihi »de ligno vetito: dic potius: Mulier »quam dedisti mihi, me cibavit fruc»tu benedicto. Lætare Pater Adam »(inquit alibi ipse Sanctus Bernar»dus [1]), sed magis tu, ò Eva Mater, »exulta: quia sicut omnium parentes, »ita omnium fuistis peremptores: et »quod infelicius est, prius perempto»res, quam parentes. Ambo (inquam) »consolamini super filia, et tali filia, »sed illa amplius de qua malum ortum »est prius, cujus opprobrium in om»nes pertransiit mulieres. Instat nam»que tempus, quo jam tollatur op»probrium, nec habeat vir quid cau-

(1) Homil. 2. sup. *Missus est.*

»setur adversus fœminam: qui utique »dum se impudenter excusare cona»retur, crudeliter illam accusare non »cunctatus est, dicens: Mulier quam »dedisti mihi, dedit mihi de ligno, »et comedi. Propterea curre Eva ad »Mariam, curre Mater ad Filiam, »Filia pro Matre respondeat, ista »Matris opprobrium auferat, ipsa Pa»tri pro Matre satisfaciat: quia ec»ce si vir cecidit per fœminam, jam »non erigitur nisi per fœminam. Quid »dicebas, ò Adam? Mulier quam de»disti mihi, dedit mihi de ligno, et »comedi? Verba malitiæ sunt hæc, »quibus magis augeas quam deleas »culpam. Verumtamen sapientia vicit »malitiam, cum occasionem veniæ, »quam à te Deus interrogando elige»re tentavit, sed non potuit, in thesau»ro indeficientis suæ pietatis invenit. »Redditur nempe fœmina pro fœmi-

»na, prudens pro fatua, humilis pro »superba, quæ pro ligno mortis gus»tum tibi porrigat vitæ, et pro ve»nenoso cibo illo amaritudinis dulce»dinem pariat fructus æterni. Muta »ergo iniquæ excusationis verbum in »vocem gratiarum actionis, et dic: Do»mine, mulier quam dedisti mihi, de»dit mihi de ligno vitæ, et comedi, »et dulce factum est super mel ori »meo, quia in ipso vivificasti me::: »O admirandam, et omni honore dig»nissimam Virginem, ò fœminam sin»gulariter venerandam, super omnes »fœminas admirabilem, parentum re»paratricem, posterorum vivificatri»cem!" Totiusque generis humani (adjiciemus deducentes ex dictis) à Summo Deo adinventam Pastricem.

Quamquam enim sapientissimus Salomon (1), quasi hæsitando inqui-

(1) Proverb. 31. 10.

rat: Mulierem fortem quis inveniet? Invenit tamen eam Altissimus, qui super maria fundavit eam, et super flumina præparavit illam: ideoque subsequitur: Procul, et de ultimis finibus pretium ejus. "Hoc est (Sanc»tus explicat Bernardus (1)) non vile, »non parvum, non mediocre, non »denique de terra, sed de cœlo: nec »de cœlo proximo terris pretium for»tis hujus mulieris, sed à summo cœ»lo egressio ejus." Hæc est enim, de qua suo scripsit in Apocalypsi Joannes (2): Vidi Sanctam Civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut Sponsam ornatam viro suo. Indeque ergo à summo videlicet cœlo, seu de cœlo à Deo, ubi potius quam Pauli (3) erat conver-

(1) Serm. 2. sup. *missus est.*
(2) Apoc. 21. 2.
(3) Ad Phip. 3. 20.

satio ejus, absdubio egreditur, cum ex utero, è temploque exiens à Spiritu Sancto Sponso ei dicitur: Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce, non oves solum, sed etiam hædos tuos: pasce justos, et peccatores: cunctos pasce: nam omnes tamquam mulieri fortissimæ, et potentissimæ committuntur et tibi.

Tantoperè enim cum Salomone sequimur, dicentes (1): Confidit in ea cor viri sui, et expoliis non indigebit: annonis nempe, cibis et dactilis, seu quibusvis aliis ad alendam familiam sibi commissam minimè indigebit, ut apud Alapide legunt (2), vertuntque alii. Nec enim tantum in nostra cœlesti fidens Pastrice haud fallitur, qui nec fallere, nec falli valet (3). Equidem ipsa facta est quasi

(1) Vers. 11.
(2) Hic Littera *B*. (3) Vers. 14

navis institoris de longe portans panem suum: ut pote "quæ in domum, »id est in Ecclesiam (intelligit à La»pide[1]) invexit panem vivificum, »puta Christum Dominum, dum eum »peperit in Bethelehem, id est in do»mo panis. Unde Sanctus Gregorius »Homilia VIII. in Evangelia. Bene in»quit in Bethelehem nascitur, id est »in domo panis: ipse enim est qui »ait: Ego sum panis vivus, qui de »cœlo descendi. Joannes VI. Ipsa er»go *de longè*, id est de cœlis per hu»jus vitæ pelagos portat panem suum. »*Tò* enim *de longè* notat distan»tiam inter Verbum et humanam na»turam, quam sibi Hypostatice uni»vit in utero hujus Mulieris benedic»tæ. Rectè vero panem hunc vocat »*suum*; quia sola absque viri opera »illum concepit, quem in Bethelehem

(1) Super hunc locum littera *C.*

„per partum suum virgineum, tan-
„quam ex navi in omnium utilitatem
„exposuit, ut eo in Eucharistia pas-
„camur."

Cæterum Sapiens adhuc curam, sollicitudinemque omnes pascendi nostræ hujus dilectissimæ Pastricis plus ultra extollit, magisque prædicat, dicens (1): Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Nam "Mulier hæc „strenua et provida (laudatus ut no„tat Alapide (2)) non stertit in mul„tam lucem, sed ante auroram noc„tu surgit, ut servis et ancillis, filiis „et filiabus, cæterisque domesticis „præparet, tribuatque cibos." Ita meherclè præparavit, profectoque omnibus tribuit, utpote cunctorum piissima, sollicitaque Pastrix ipsorum.

(1) Ibid. vers. 15.
(2) Hic sub littera *B*.

Quocirca dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret omnipotentem sermonem à regalibus venientem sedibus, carnemque factum in lucem edidit, pannis involvit, et inter præsepii palleas collocavit. Nonque immeritò in præsepii mensa reposuit, sed ut hoc videlicet vivifico pane de cœlo descendente totum exinde cibaret, pasceretque hominem: qui cum in honore esset, non intellexit, comparatusque est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (1).

Præparavit, et (inquam) hunc divinum, vivificantemque cibum, quemadmodum Ricardus à Sancto Laurentio devotissimis his complectitur verbis (2): "Sicut cibus solidus mastica-

(1) Psalm. 48. 13.
(2) De Laudib. Beatæ Mariæ lib. 12. et apud Benedic. Fidele. De Eucharistia, fol. mihi 440.

»tur à nutrice, et redigitur in liqui-
»dam substantiam, ut transeat ad nu-
»trimentum pueri, ita Beata Virgo nu-
»trix [1] nostra Deum nobis emollivit,
»et fecit essibilem." Sicque etiam essibilem, manducabilemve factum sanè omnibus ministravit. Enim vero "Ip-
»sum natum (affirmat ipse Ricar-
»dus [2]) noluit sibi quasi proprium
»retinere, sed quem sciebat natum
»sibi pro salute mundi communiter,
»velut panem in mappa reclinavit in
»præsepio. Quasi diceret bobi et asino:
»En pabulum vestrum, fœnum scili-
»cet carnis Filii mei." Fœnum quippe istud (ait Sanctus Bernardus [3]) "de
»prato virginalis uteri collectum fac-
»tum est refectio jumentorum." Quid ergo in his, in quibus omnes Patres,

(1) *Nutrix nostra*: ergo et Pastrix nostra.
(2) Ibid. lib. 4.
(3) Serm. in Cœna Domini: *Panem Angelorum.*

Doctores, Expositoresque consentiunt amplius immoramur? Hoc equidem fœno, hoc frumento, hoc pane, hocque cibo, qui etiam est Agnus, quem pascit nostra Pastrix, itidem pascit oves, et hædos, justos, et peccatores, pascit denique universum hominum genus.

Quod quidem amplius expectabimus, aliterque videbimus, si ipsam aspicimus, cum è antro egreditur Bethelehemico suum Agnum, Filiumque Jesum recenter natum propriis gestans in brachiis, ac manibus. Verum ut clarius, apertiusque perspiciamus, præ oculis habere debemus; quod adolescentes, adjutoresve Pastores, seu *Zagales*, dum oves pascentes post greges pergunt de more, semper, sæpeve consuescunt tenellos, paucorumque dierum agnellos præ teneritudine itinera non facere valentes, in brachiis

manisbúsque portare. Similiter etiam magni Pastoris Christi adolescentula, adjutrixque Pastrix, seu *Zagala* Beatissima Virgo et Mater Maria, è Bethelehem egreditur suum tenerrimum, paucorumque dierum Agnum Jesum in brachiis gestans ac manibus; sicque abiit post vestigia gregum, et per ipsum, cum ipso, et in ipso pascit oves et hædos, justos ac injustos, pascit et omnes; utpote qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ita ergo Sanctissima Mater, Piissimaque cunctorum Pastrix è Bethelehem (inquam) egreditur, abit in Jerusalem, justosque pascit Simeonem, et Annam [1]. Pariter et egreditur de terra sua, de cognatione sua, suaque de domo, et abit in Ægyptum, ac pascit hœdos, injustos scilicet Gentiles Ægyp-

(1) Luc. 2. 22.

tios[1]. Ut enim inquit Sanctus Leo[2]: "Tunc etiam Ægypto Salvator illatus »est, ut gens antiquis erroribus dedi- »ta, jam ad vicinam salutem per oc- »cultam gratiam signaretur; et quæ »nondum ejecerat ab animo supersti- »tionem, jam hospitio respiceret veri- »tatem." Sic denique ab Ægipto egreditur[3], abit iterum in terram Israel, in Civitatem suam Nazareth, ex ipsaque egrediens, ibat per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ, semper, et ubique justos pascens, et peccatores, omnesque illuminans lumine ad revelationem gentium, et gloria plebis suæ Israel.

Quamvis autem inaccessibilis hæc lux, plebisque gloria Israel aliquando per triduum Beatissimæ sese oc-

(1) Matth. 2. 13.
(2) Serm. 2. de Epiphania.
(3) Matth. 2. 21. 23.

cultaverit Virgini, tunc tamen fuit (testibus Ruperto, Ghislerio, et aliis (1)), cum dulcissima Mater, dilectissimaque Sponsa Christi hunc diligentissimè suum quæsivit mitissimum Agnum Sponsum, ac Filium pluriès illud Canticorum dolorosissimè repetens (2): Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Super quod sic piissimus discurrit Rupertus (3): "Sensum »vocis hujus quærenti, nec dubitanti »mihi, quin veraciter congruat tan»tæ, tamque Beatæ Virgini magnum, »et mirum sese ingerit, et aperit Sa»cramentum illius Evangelicæ lectio»nis. Cum factus esset Jesus annorum »duodecim, ascendentibus illis Jero»solymam secundum consuetudinem »diei festi, consumatisque omnibus,

(1) In Cant. loc. infra cit.
(2) Cap. 1. 6. (3) In Cant. lib. 1.

»cum redirent, remansit puer Jesus in »Jerusalem, et non cognoverunt pa- »rentes ejus, et &c. usque et dixit Ma- »ter ejus ad illum: Fili quid fecisti »nobis sic? Ecce pater tuus, et Ego »dolentes, quærebamus te."

Hæccine, consentaneaque istis tradit alia Rupertus: cujus vestigiis Ghislerius innixus ita itidem loquitur (1): "Quod in Evangelio gloriosa »Virgo significavit Filio suo iis ver- »bis: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce »Ego et Pater tuus dolentes quære- »bamus te: id ipsum, et per ea quæ »hic dicit, idem significat." Simul atque hunc sequens intentum, illud ipsemet clarissimè probat, doctissimèque convincit. Ubi vero ad responsum Sponsi: Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, et &c. venit exponendum, consequenter ad ista sic etiam

(1) Super hunc locum.

effatur: "Etenim sicut superiora ita
»exposuimus, ut per ea significatum
»sit idem, quod in Evangelio clarius
»expressit Mater Jesu verbis iis: Fili
»quid fecisti nobis sic? Ego, et Pa-
»ter tuus dolentes quærebamus te.
»Sic et ista, quæ à Sponso responsa
»sunt, eo pacto explicanda videntur,
»ut congruentia sint cum responso
»illo, quod in eodem Evangelio Je-
»sum ad ipsam Matrem dedisse le-
»gimus. Quid est quod me quæreba-
»tis? Nesciebatis, quia in his quæ Pa-
»tris mei sunt, oportet me esse? Hoc
»ipsum igitur, quod ibi ut amantis-
»simus Filius respondit ad Matrem,
»nunc dilectissimus Sponsus ad eam-
»dem respondet, ut Sponsam, dicens:
»Si ignoras te, ò pulcherrima inter
»mulieres, egredere, et abi post ves-
»tigia gregum, et pasce hædos tuos
»juxta tabernacula Pastorum. Æquè

»enim est ac si dicat: *O pulcherri-*
»*ma*, purissima, atque sanctissima in-
»ter omnes mulieres: Si tanta an-
»xietate *ignoras*, ubi me amiseris, ubi
»et me tam ardenti desiderio, tanto-
»que, ut asseris, studio per triduum à
»te quæsitum reperies. *Si ignoras*, sci-
»reque cupis, ubi me post hac valeas
»invenire: *Egredere*, *et abi post ves-*
»*tigia gregum*: id est, ubicumque
»existimare potes esse oves aliquas
»pascendas: ubi videris signa et ves-
»tigia ovium, quibus præbere mihi
»opus sit doctrinæ, pabulum, eo *egre-*
»*dere et abi*, atque ibi *pasce hædos*
»*tuos*."

»Fingitur enim hic Sponsa (ut
»Cornelio videtur Alapide (1)) hæ-
»dos parvulos, et infirmos pascere,
»et lactare juxta tabernacula Pasto-
»rum, qui hircos, et capras adultas

(1) Sup. hunc locum.

»pascunt: quare ex hædis, qui ex »odore agnoscunt, et advolant ad vi-»cinas capras, quasi matres suas, ag-»noscit Sponsa Pastrix (1), ubi sit »Sponsus Pastor ovium et caprarum." Propptereaque iste (ut Ghislerio placet (2)) ad illam dicens, concludit: "Ibi »namque me reperies *juxta taberna-»cula Pastorum*, apud Scribas videli-»cet, et Pharisæos, et in Templo, ubi »commorantur Sacerdotes, qui sunt »Pastores plebis meæ: ibi enim dum »ipsos interrogo, licet ipsi rebelles »sint, et pasci nolint; pasco tamen »simplicem turbam." Ibique etiam (superaddere nunc valebimus) tu ut adolescentula Pastrix, meaque adjutrix, pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum: parvulos, infir-

(1) Perpende, quomodo doctissimus etiam Cornelius Alapide itidem voce utitur *Pastrix*.
(2) Ub. Sup.

mos, peccatores pasce, juxta tanti Sponsi, tantique Pastoris tabernaculum. Haud fecit aliter parvulorum, ac infirmorum piissima Pastrix omnium: suumque invenit dilectissimum Filium ac Sponsum Jesum in Templo sedentem in medio Doctorum audientem, et interrogantem eos.

Quod si nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, quæ, et quanta pro omnium suarum salute ovium et in templo sedens in medio Doctorum, et in vita sua abscondita, clausoque ostio, semper ac indefessè suum exorans Parentem in abscondito, magnus fecit Pastor Dominus Jesus: similiter etiam nec homines, nec Angeli sermone evulgare valebunt, quæ etiam pro ipsarum salute ovium suis tunc potentissimis operata est precibus ejusdem magni Pastoris adolescentula, adjutrixque mirabilis Pas-

trix Maria, qam ad totius mundi salutem æternus ipsemet Pastor adjutorium fecit simile sibi: ut et olim Beatus meditabatur Albertus Magnus (1). "Fuit Dominus cum Maria, »et ipsa cum Domino in eodem la»bore, et in eodem opere nostræ Re»demptionis. Mater misericordiæ Pa»trem misericordiarum adjuvit in ope»re nostræ salutis. Unde prædictum »erat (Genes. 2.) de prima muliere: »*Non est bonum hominem esse solum, »faciamus ei adjutorium.* Illa enim »litteralis Eva viro suo non fuit ad»jutorium, sed destructorium magis, »hæc autem in adjutorium." In adjutorium utique simile sibi, ad officium etiam, ministeriumve Pastoris.

Proindeque cum ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur Filius Joseph, omnium ac

(1) Lib. 1. de Laud. Beatæ Mariæ.

oculis evangelizare pauperibus ut Agnus exiit mansuetus, qualis à Joanne Baptista digito commonstratur dicente: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (1): tunc et ipsa semper ei ministrat Pastrix, illum pascit, huncque sequitur suum mitissimum Agnum quocumque ierit. Verum ubique et in omnibus ut sua adolescentula Pastrix seu *Zagala* ipsum adjuvat magnum Pastorem Jesum in ministerio Pastoris, totiusque humani generis Salvatoris. Hincque quando ipse cœpit Jesus facere, et docere, ac ut bonus, sedulusque Pastor, dimissis nonaginta novem ovibus in deserto (2), venit ad illam, quæ perierat: quando verbis ostendit, ac exemplis (3), quod non est missus ni-

(1) Joann. 1. 29.
(2) Luc. 15. 4.
(3) Matth. 15. 24.

si ad oves quæ perierunt : Domus Israel (1) : quando in desertum exiens, vidit turbam multam; et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes Pastorem, et cœpit illos docere multa, discipulisque dixit: Date illis vos manducare : ac tandem quando se ipsum palam ostendit Pastorem dicens (2) : Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ::: et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor : hisce enim, ac in omnibus pro salute hominum à Jesu patratis: Quæ si scribantur per singula (inquit Joannes (3)) nec ipsum arbitror mundum capere posse, eos qui scribendi

(1) Marc. 6. 34.
(2) Joann. 11. 14.
(3) Cap. 21. 15.

sunt libros: semper et ipsum adjuvit sua fidelissima adjutrix, nostraque piissima Pastrix: ac tantopere de ovibus sibi à Filio commissis Sponso curam habuit, ut ne minimam quidem necessitatem, indigentiamve illas pati permitteret, quin piissimis statim precibus ad Omnipotentem, eumdemque Filium pro ipsa succurrenda recurreret.

Quod equidem, ut omnibus notum faceret credentibus, eadem Dei Genitrix, nostraque Pastrix propriis per se ipsam in Evangelio, non dedignatur eloquiis demonstrare. Non enim erat maxima; sed minima potius: non animæ, non spiritus: sed corporis tantum, suarum illa ovium necessitas; quam in Cana Galileæ reperiit, viditque in nuptiis: non (inquam) alimenti erat inopia, non panis, sed enim vini tantummodo. Verumtamen, et

deficiente vino (Sanctus inquit Evangelista Joannes [1]) dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent: rursumque ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Quare hoc? "Nota Virginis sollicitudinem, et diligen-»tiam (Angelicus ait Doctor Sanctus »Thomas [2]), quia usque ad extre-»mam necessitatem non distulit, sed »deficiente vino, id est, dum esset »in deficiendo, juxta illud, quod di-»citur in Psalmo nono de eo: *Adju-»tor in opportunitatibus, in tribula-»tione.*

»Sed cur Mater Jesu curam habet »vini? doctissimus inquirit Episco-»pus Didacus del Castillo [3]) Hoc »ad nuptiarum ministros spectabat, »non ad Mariam. Quare ergo Domi-

(1) Cap. 2. 3.
(2) Apud Barco in Bibl. Mariana sup. hunc loc.
(3) In Alphabet. Marian. §. 63. Verbo Alimentum.

„na nostra supplere illum defectum „studet? Sanctus Bernardus Serm. „*Signum magnum*, hanc exhibuit ra„tionem: *Aliorum quippe verecundiam „suam reputans, sustinere non potuit „vini dissimulare defectum.* Cum Ma„ria tanquam proprium munus acce„perit curam alimenti hominum, vi„dens vini defectum, dissimulare non „potuit, aliorum suam reputans ve„recundiam, hoc est, defectum illum „non tam convivantium reputari quam „proprium verens. Quia cum Mariæ „nostrum alimentum commissum est, „ad ipsam spectabat illius supplere „defectum." Proinde ergo ut Pastrix magni Pastoris Jesu similis semper adjutrix in *opportunitatibus*, *in tribulatione*, quin potius opportunitates, tribulationem, indigentiamque vel minimam suarum præveniendo ovium clamavit ad Filium, ad mag-

num herclè ipsarum Pastorem ovium.

"Compassa est enim (prædicat ali-
»bi Sanctus Bernardus (1)) eorum ve-
»recundiæ, sicut misericors, sicut
»benignissima. Quid de fonte pieta-
»tis procederet, nisi pietas? quid (in-
»quam) mirum, si pietatem exhibeant
»viscera pietatis?" Exhibuerunt illam profectò in parvis, et in magnis, exhibuerunt ubique, exhibuerunt et in omnibus, quæ in prædicationis triennio pro ovibus suis magnus fecit Pastor, Princepsque Pastorum Dominus Jesus Christus (2), cum pertransit benefaciendo, et sanando omnes oppressos à Diabolo. Ut equidem Sanctus Petrus Damianus ingeniosè his complectitur verbis (3): "Per ipsam, et
»in ipsa, et de ipsa, totum hoc fa-

(1) Serm. 1. Dom. 1. Post. Octav. Epiphan.
(2) Actor. 10. 38.
(3) Serm. 1. de Nativ.

„ciendum decernitur, ut sicut sine „illo nihil factum, ita sine illa nihil „refectum sit." Usque adeo summum sic adjuvit Pastorem Jesum sua fidelissima adjutrix, nostraque Pastrix Maria. Adjuvit ergo illum, ut omnia reficeret, ac per ipsam, et in ipsa, et de ipsa cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur; surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, dispersi Israel congregantur, et in gentes quæ Deum non cognoverunt timor nominis ejus benigniùs immittitur (1), ut cum Sancto Bernardo repetamus, non sit qui se abscondat à calore ejus.

At quod majus est, super omnemque laudem excellentiùs, quando dulcissimus Pastor Jesus sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (2): cum dilexisset

(1) Ub. Sup. cit. (2) Joann. 13. 1.

suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, memoriamque fecit mirabilium suorum (1), ac miraculorum ab ipso factorum operatus est maximum (2), dum Corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum, sub specie panis et vini sumendum, Apostolis distribuit, fidelibusque usque ad consummationem sæculi dereliquit: tunc et ipsa adfuit etiam omnium piissima ovium Pastrix Maria, factaque est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. "De lon»ge (cum Richardo inquam à Sancto »Laurentio (3)) portans panem suum: »quo scilicet ipsa digniùs, saporo»siùs, et ineffabiliùs fruebatur in præ»senti omni creatura. Vel panem

(1) Psalm. 110. 4.
(2) Sanctus Thomas, et cum ipso Ecclesia in offic. Corp. Christ.
(3) Ub. Sup. cit. Lib. 11. Et apud Fidele ibid.

„suum, quia totus fuit suus, et de „quo ipsa ait: Comedi panem meum, „quoniam non possumus eum habere, „nisi ab ea, et per eam: et dicen„dum est ei tota devotione: Mater „nostra, quæ es in cœlis, panem nos„trum quotidianum da nobis hodie.

Optime quidem: enim "Christus „suam carnem reliquit in Eucharis„tia (inquit Cornelius Alapide[1]) op„tante, et forte orante id Beata Vir„gine." Quod itidem plurimis demonstrat Ferdinandus de Salazar[2], deindeque concludit: "Denique non „solum existimo Deiparæ eam do„nationem aliquomodo adscribendam „esse, per quam Cœlestis iste panis „nobis impertitus est, et pro nobis „oblatus: sed etiam ejusdem sumendi „nobis causam quotidie existere, qua-

(1) In Ecclesiast. 24. 29. littera D.
(2) In Proverb. 9. 5.

„tenus suis precibus hominibus im-
„petrat gratiam, qua excitantur, quot-
„quot dignè ad communionem acce-
„dunt. Ita enim decebat, ut quemad-
„modum Eva prior ad vetiti, morti-
„ferique fructus essum virum permo-
„vit: ita etiam posterior ad panem
„vitæ edendum impelleret. Accipe
„verba Petri Damiani ubi supra: *Ci-
„bum Eva tradidit* (ita lego non *Co-
„medit*, sic enim locum istum resti-
„tutum in veteri codice legi), *per
„quem nos æterni convivii fame mul-
„tavit. Cibum Maria dedit, qui nobis
„cœlestis convivii aditum patefecit.*
„Sicut Eva tradidit, sic Maria dedit:
„illa quidem tradidisse dicitur, quia
„viro suasit, ut comederet: pari ergo
„ratione panem vivum nobis à Vir-
„gine donatum dicemus, quia ipsa
„excitat nos, impellitque ad illum
„avidè comedendum. Et quidem id

„sibi volunt ista verba: Venite, co-
„medite panem meum, et bibite vi-
„num quod miscui vobis. Quæ cum
„ex Virginis persona pronuntientur,
„significant quidem ad ipsam spec-
„tare hujus panis, vinique cœlestis
„sumendi desiderium fidelibus immit-
„tere, vocando, et excitando, hoc
„est, precibus suis gratiam exorando,
„qua vocantur, et excitantur."

Hoc idemtidem ipsum, ut ex Patribus et Doctoribus inspeximus, ampliusque expectabimus, eadem nobis voluit significare, ac demonstrare Domina Pastrix cum dulcissimum Filium recenter natum, pannisque involutum omnibus exposuit in præsepio. "Rem (inquit Ildephonsus de
„Flores (1)) quasi acu attigit Theo-
„dorus Anciranus Episcopus Oratio-
„ne de nativitate, Tomo primo Con-

(1) In Ecclesiast. Num. 769.

„cilii Ephesini: In præsepi positus „est, ut in hac mensa comedatur: „præsepe claram hanc mensam de„signavit: Betheleemitici autem di„versorii utilitas clara templa prædi„xit." Ut ex tunc etiam fidelibus patesceret omnibus, panem hunc, calicem hunc, hancque mensam, qua suas Princeps Pastorum Jesus pascit, reficitque oves, haberi quoque *per ipsam*, *et in ipsa*, *et de ipsa* ejus adolescentula Pastrice, sua, nostraque dulcissima Matre.

Videte ergo, qualem charitatem dedit nobis Deus, dedit nobis et nostra Pastrix Maria, ut Filii Dei nominemur, et simus. "Quis (ex Chry„sostomo nunc et quæremus (1)) lo„quetur potentias Domini, auditas „faciet omnes laudes ejus? Quis Pas„tor oves proprio pascit cruore? Et

(1) Homil. 60. ad Pop. Antioc.

„quid dico Pastor? Matres multæ „sunt, quæ post partus dolores filios „aliis tradunt nutricibus. Hoc autem „ipse Jesus non est passus, sed ipse „nos proprio Sanguine pascit, pro„priaque carne." Hoc autem (item repetemus) Maria passa minimè fuit: sed et ipsa proprio nos sanguine pascit, propriaque carne. "Nam caro „Christi caro est Mariæ." Magnus affirmat Parens Augustinus (1); subditque: "Caro Christo, quamvis glo„ria resurrectionis fuerit magnificata, „eadem tamen mansit, quæ suscepta „est ex Maria:" et alibi (2): "De carne „Mariæ carnem accepit, et ipsam „carnem Mariæ nobis manducan„dam ad salutem dedit." Quid luculentius!

Consonat Sanctus Bernardus, di-

(1) Serm. De Assumpt. Virg. Cap. 5.
(2) In Psalm. 98.

cens [1]: "Virgo fuit vicinissima Fi-
»lio per carnis identitatem, quia ea-
»dem caro, quæ fuit Virginis Matris
»facta est caro Filii Dei." Et Petrus
Blesensis [2]. "Eadem caro de Virgi-
»ne nata, et caro nunc Verbo vitæ
»de pane sacrata." Quare et omnibus
loquens clamat Damianus [3]. "Hic
»dilectissimi Fratres, hic rogo per-
»pendite, quam debitores simus huic
»Beatissimæ Dei Genitrici, quantas-
»que illi post Dominum gratias age-
»re debeamus: illud siquidem Cor-
»pus, quod Beatissima Virgo genuit,
»quod in gremio fovet, quod fasciis
»cinxit, quod materna cura nutrivit,
»nunc de Sacro altari percipimus, et
»ejus Sanguinem in Sacramento nos-
»træ redemptionis haurimus. Impar est

(1) Sermon. De Nomin. Mariæ.
(2) Tractat. De Eucharistia. Cap. 1.
(3) Serm. De Laudib. Virgininis. Et apud Salazar citat.

„illi omne humanæ linguæ præco-
„nium, quæ de intemeratæ carnis suæ
„visceribus cibum nobis protulit ani-
„marum, eum videlicet, qui de semet-
„ipso perhibet. Ego sum panis vivus,
„qui de Cœlo descendi." Hæc ille, et
similia occurrunt apud alios Patres.

De Sanguine item disertissimè Sanctus ita scribit Germanus (1): "Crateras sanguinis Christi interpre-
„teris mammas Deiparæ salutare læ-
„titiæ poculum, et tutelare, ac con-
„servatorium totius generis humani."
Propterea Sanctus et ajebat Athanasius (2): "Suxit mammam, ut divi-
„num illud lac nobis scaturiret, quod
„ex proprio latere profudit: nihil
„enim aliud est lac, nisi Sanguis al-
vus." Et Sanctus Petrus Damianus (3):

(1) In Theoria rerum Ecclesiastic.
(2) In Descript. Apud Methaphrastem.
(3) Serm. 45. et apud Flores citat. Num. 2233.

"Manat aliquit ex uberibus Virginis, »et in carnem vertitur Salvatoris." Subtexitque deinde: "Illud absque »nulla dubitatione, non aliud, nunc »de Sacro altari percipimus, et ejus »Sanguinem in Sacramentum nostræ »redemptionis haurimus."

Quid vero immoramur et amplius? quidquid proponitur, quidquid in mensa Domini ultima ministratur in cœna, totum nobis ex nostra provenit Pastrice Maria. Immo (ut inquit Sanctus Epiphanius (1)): "Ipsa est fi»dei mensa intellectualis, quæ vitæ »panem mundo Suppeditavit. Et post »pauca: Locuples es, charissima, et »virtutibus plena, mensa virginea, »optimis quibusque cibis abundans, »quibus terra fruatur." Et Sanctus Gregorius Nicomediensis Episcopus oratione de Præsentatione Virginis

(1) Serm. De Laudib. Beatæ Virgin.

sic templum alloquitur : "Accipe
»mensam, quæ portat vitam, in qua
»vitæ nostræ panis propositus am-
»brosia pavit eos, qui illius fuerunt
»participes." Similiter denique cæteri loquuntur Patres, Doctores, ac Expositores omnes, unde quoque velint, nolint, hic saltem nostram debent fateri Pastricem, oves et hædos, justos et peccatores pascentem.

Ex hac equidem ejusdem mensa sumunt boni, sumunt mali (1), sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Sumunt aliqui mali, sumunt et hædi aliqui, qui (ut docent Theologi) ejusdem virtute mensæ ex hædis vertuntur in agnos, et ex peccatoribus in justos et Sanctos. Hos utique omnes nostra pascit misericors Pastrix. "Om-
»nes enim sua, æquè ac Christi car-
»ne pascit Beata Virgo in Eucharis-

(1) In Sequent. Missæ Corpor. Christ.

tia (1). Cornelius inquit Alapide. Pascit, inquam, non ut magnus principalisque Pastor, qui est Dominus Jesus; sed ut similis ejus adjutrix, adolescentulave Pastrix. Ad quod forte illud Sancti Epiphanii aludit elogium (2): "O Virginem stupendum „Ecclesiæ thesausum, qui adeptus est „ingens mysterium! Virginem appello „velut Sacerdotem pariter, et altare, „quæ quidem mensam ferens dedit „nobis cœlestem panem, Christum in „remissionem peccatorum." Ubi Virginem Matrem, nostramque Pastricem non Sacerdotem, sed velut Sacerdotem appellat.

Sacerdos enim reverà ipsa minimè est, sed homo, et homo, qui natus est in ea, et ex ea, de quo Scriptum est: Frater non redimit, re-

(1) In Ecclesiast. 24. 29. citat.
(2) Serm. De Laud. Virginis.

dimet homo [1]: Sacerdos videlicet in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech [2], qui panem, et vinum obtulit, suam scilicet carnem, suumque Sanguinem, quibus cum suas pascit, cibat, potatque oves: et de quo nobis Paulus scribit Apostolus [3]: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium Sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Ejus vero Mater, nostraque Pastrix Maria, non Pontifex, non Sacerdos magnus, sed velut Sacerdos: nec item homo, sed simile sibi adjuto-

(1) Psalm. 48. 8.
(2) Psalm. 109. 4. et ad Heb. 5. 6. Atque in Offic. Corporis Christi.
(3) Ad Hebræos 9. 11. 12.

rium: non (inquam) homo, sed quasi vestigium hominis, et prout olim Prophetæ puero prænuntiata est Eliæ, qui proinde exclamavit, et dixit [1]: Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari [2]. De mari equidem: nam super maria fundavit eam Dominus, et super flumina præparavit illam [3]. De mari etenim ascendebat, ut pluviam nobis illam plueret grandem [4], nobis plueret justum, qui visitavit terram, et inebriavit eam [5]. Plueret denique manna ad manducandum [6], et panem cœli daret nobis, panemque Angelorum manducaret homo.

"Quin potius (Sanctus inquit Am-

(1) 3. Reg. 18. 44.
(2) Psalm. 23. 2.
(3) Et in Offic. Concept.
(4) Isaiæ 45. 8.
(5) Psalm. 64. 10.
(6) Psalm. 77. 24. et 25.

„brosius (1)), ipsam Mariam, manna „dixerim: quia est subtilis, et splen„dida, suavis et Virgo, quæ velut „cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum „populis cibum dulciorem melle def„fluxit." Quo videlicet (ut supra cum Sancto Antonino dicebamus) "Pa„vit etiam, et pascit Ecclesiam con„tinuè benedicto fructu uteris sui: „pane angelorum in ipsa formato, in „Sacramento Altaris nobis ministra„to, ut Pastor bonus." Vel ut nos multoties jam repetiimus, ut magni Pastoris adolescentula, adjutrixvè Pastrix.

Necne ita ampliùs, perfectiusque Pastricis nomen, ac titulus vendicat sibi, omnes quam Pastores? Quis dubitabit? Bonus ad Summum Pastor animam suam dat pro ovibus suis; Maria vero plus nobis infinitè quam

(1) In Psalm. 21.

animam suam dedit. Sic enim ipsa dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut Filium suum, amicum suum, Sponsum suum, Patrem suum, Dominum suum, ac etiam Deum suum daret nobis in Cibum, daret et in redemptionem multorum, in redemptionem omnium. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile? Fecit ne unquam tale suis pro ovibus Pastorum aliquis? Neutiquam. Verum Maria fecit: Effecit nostra omniumque dulcissima Pastrix. Fecit et magis, ampliusque pro nobis effecit. Astitit cruentissimo dilectissimi Sacrificio Filii, illum, ac se ipsam Patri in omnium offerens peccatorum remissionem. Obstupescite Cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer! Verum nos, qui sumus populus ejus, et oves pascuæ ejus, inspiciamus attentè, consideremus

O

devotè, meditemur et piè. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate [1], canebat Propheta. Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus [2], scribebat et plorans dilectus Apostolus, et Evangelista. Ast Maria numquam juxta Crucem stetisset, juxtave patientem Filium, nisi extra castra exiisset ad ipsum, portans ejus improperium. Jesus enim, inquit Apostolus [3], ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes, nostræque Pastricis Mariæ vestigia sequentes.

Ipsa equidem optimè sciens, ubi suus mitissimus Sponsus, ac Filius pascat, ubi cubet in suæ passionis meridie: Vadam (inquit post ip-

(1) Psalm. 44. 10. (2) Cap. 19. 25.
(3) Ad Heb. 13. 12. et 13.

sum [1]) ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. Ac non ignorans, pulcherrimam se esse mulierum, egreditur è domo, è civitate egreditur, et abit post vestigia gregum, quos, bajulans sibi crucem, summus antecedebat Pastor Jesus Christus, exitque in eum, qui dicitur Calvariæ locum; ut ibi pascat hædos suos juxta tabernacula tanti, tam sublimisque Pastoris. Igitur egressa est Maria in salutem populi sui, in salutem cum Christo suo [2]: *parata* (ut cum Sancto antea dicebamus Bernardo) *pariter pascere cum illo, et sub illo*: parata etiam pariter cum illo, et sub illo pati. Namque ubi suus mitissimus Sponsus, ac Filius, magnusque per excellentiam Pastor pascens, cubans,

(1) Sic ex Cant. in Offic. Septem Dolorum.
(2) Abacuc 3. 13. et Sanct. Bonavent. in Psalter. Hic.

et patiens in tabernaculo Crucis maximum consumat, ac perficit opus pascendi, quod Pater dedit illi ut faceret: et ipsa Stabat juxta Crucem: juxta tabernaculum tam magni Pastoris: immo Christo confixa erat Cruci, pariter pascens, pariter cubans, pariterque cum illo, et sub illo patiens (1): ac Paulo excellentius adimplens ea, quæ desunt passionum Christi pro corpore ejus quod est Ecclesia: quod et sumus nos populus ejus, et oves pascuæ ejus.

Anne deficiens copiosa apud eum Redemptio? Haud minime. "Et qui-„dem sufficere poterat Christus (Sanc-„tus ajebat Bernardus (2)); siquidem „et nunc omnis sufficientia nostra ex „eo est; sed nobis bonum non erat „esse hominem solum: congruum

(1) Ad Colosen. I. 24.
(2) Serm. *Signum Magnum.*

»magis ut adesset nostræ reparationi »sexus uterque, quorum corruptioni »neuter defuisset." Et infra: "Jam »itaque nec ipsa mulier benedicta in »mulieribus videbitur otiosa; inve- »nietur equidem locus ejus in hac »reconciliatione." Ut vero hoc de loco nulla nobis superveniat dubitatio, illum dilectus demonstrat Discipulus, dum dicit: Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus.

"O Domina mea ubi stas (1)? Num- »quid juxta Crucem? (Seraphicus quæ- »rit Doctor Sanctus Bonaventura, »responditque) Immò in cruce cum »Filio cruciaris. Ibi enim crucifixa »es secum, hoc solum restat, quod »ipse in corpore, tu vero in corde »es passa, necnon singula vulnera, »per corpus ejus dispersa, in tuo cor- »de generaliter sunt unita, quia nem-

(1) In stimul. amoris cap. 4.



„pe tuam ipsius animam gladius per-„transivit. Tu Domina in tuo corde „es lanceata, tu amaris clavis incla-„vata, tu de spinis coronata, tu „illusa et exprobata, tu contumeliis, „et à maledictis affecta, tu etiam fele, „et aceto potata. O Dulcissima Do-„mina, cur ivisti immolari pro no-„bis? Numquid non sufficiebat nobis „Christi passio, nisi crucifigeretur et „Mater?" Sufficiebat utique: nam copiosa, infiniteque superabundans apud eum redemptio. Sed quomodo impleret Maria simile officium, ministeriumve adjutricis, adolescentulæ seu Pastricis, si pro ovibus magno moriente Pastore, non pariter cum ipso, et sub ipso sua commoreretur et adolescentula Pastrix?

Ideo (inquit Arnoldus (1)) "Et mo-

(1) De Septem Verbis Domini, et apud Flores de Agon. Mart. Num. 1862.

»riebatur, et mori non poterat, et
»clauso tanto doloris tormento in-
»trinsecus, alium vultum palam exhi-
»bebat, nec poterat ex facie colligi,
»crux illa animæ, et patibulum spi-
»ritus, in quo erat hostia viva bene-
»placens Deo, et medullatum holo-
»caustum, quod cum ipsa incenderet,
»tantum conscientiæ ministerio ute-
»batur, ipsaque sine strepitu se ip-
»sam mactans, in altari interiori, et
»ligna, et flammas, et latices conge-
»rebat. Nimirum in tabernaculo illo
»duo videres altaria; aliud in pectore
»Mariæ, aliud in Corpore Christi:
»Christus Carnem, Maria immolabat
»animam. Oportebat quidem ipsa ad
»sanguinem animæ et carnis suæ ad-
»dere sanguinem, et elevatis in Cruce
»manibus celebrare cum Filio Sacri-
»ficium vespertinum; et cum Domino
»Jesu corporali morte redemptio-

»nis nostræ consummare mysterium."
Ut equidem meridiana luce cunctis appareat clariùs, quod sicut bonus, magnusque Pastor Dominus Jesus animam suam dedit pro ovibus suis, ita etiam quodam fecit et modo ejus Mater adolescentulave Pastrix in crucis tabernaculo pariter cum illo et sub illo pascens, cubans, ac patiens.

Ad hoc enim præ omnibus ineffabili quodam modo mystica fuit constituta Sacerdos, ut jam jam Joannes annotavit Gerson (1): "Maria (inquit) »etsi non fuit insignita charactere Sa»cerdotalis officii, dum Judas illum »suscepit: nihilominus nunc et an»tea, et postmodum fuit in regale Sa»cerdotium præ consortibus suis in»uncta: non quidem ad consecran»dum, sed ad offerendum hanc hos»tiam puram, plenam et perfectam

(1) Tract. 9. Super Magnificat. sub lit. B.

»in altari cordis sui, in quo semper »ignis ardebat holocausti. Fuit enim »rubus ardens, incombustus." Quod et eadem Beatissima Virgo nobis etiam in Scripturis Sanctis enuntiare dignatur, dicens: Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Super quæ doctissimus Alapide sic effatur [1]: "Ipsa fuit ordi-»nata et constituta Sacerdos mysti-»ca, ut Christum suum in holocaus-»tum, et victimam pro peccato offer-»ret Deo ad redemptionem totius ge-»neris humani." Propterea igitur, et antea dixit [2]: "Sicut ergo Christus »immolans se in Cruce, pretium jus-»tum pro nobis Patri persolvit: sic »Beata Virgo eumdem, ac se ipsam »cum eodem offerens Patri, quantum »potuit cooperata est Christi Sacrifi-

(1) Super hunc loc. sub litt. *B.*
(2) Sup. vers. 19. ejusd. cap. sub litt. *D.*

»cio, et consequenter redemptioni »nostræ. Christus enim est res, et »peculium Virginis: Christus enim ad »Virginem pertinebat quasi Filius ad »Matrem, eratque pars Matris, utpo-»tè caro de carne ejus, et os de os-»sibus ejus. Unde Sanctus Bonaven-»tura in illud Joann. 3. *Sic Deus di-»lexit mundum ut Filium suum Unige-»nitum daret*: addit, et ait: *Sic sci-»licet Maria dilexit mundum ut Fi-»lium suum Unigenitum daret*. Fusè, »et eruditè id ipsum hic probat nos-»ter Salazar, qui totum hoc caput »piè, et luculentèr in sensu mystico »applicat Beatæ Virgini." Quid nam-que nunc mirum, si nos illam voci-temus Pastricem cunctarum excellen-tissimam Pastricum, omniumque Pas-torum? Sola herclè ipsa cum Filio redemptionis nostræ meruit consum-mare mysterium. Sed consummavit ut

Pastrix pariter cum illo, et sub illo patiens, cubans, et pascens.

Tanti nempè Sacramenti Arnoldus modum, et ordinem explicat, dicens [1]: "Matre supplicante, Filio interpellan- »te, et Patre propitiante. Filius ad »pectus Matris et ubera, et Pater ad »Filii crucem et vulnera respiciebat. »Expende ultima verba (Joannes ad- »vertit Sylveira [2]) ut Pater propi- »tiaretur, ac dimitteret peccata to- »tius generis humani, *ad Filii crucem,* »*et vulnera respiciebat*: et Christus »Dominus, ut redemptionem totius »generis humani consummaret, om- »niumque peccatorum veniam obti- »neret, *ad pectus Matris, et ubera* »*respiciebat.* Id ergo quod Crux et »vulnera Christi sollicitabant erga »Patrem, id pectus, et ubera Matris

(1) De Verbis Dom. ad hoc verbum.

(2) In Evang. tom. 5. lib. 8. quæst. 8. num. 45.

»negotiabantur cum Filio." Pectus (libenter repetemus), et ubera, quibuscum proprii tam Filii, quam adoptivorum effecta est Pastrix, mysteriosè concurrunt ad nostræ salutis consummationem.

Ad quod equidem idem consonat Sylveira, dicens et alibi (1): "De se »crucem ascendente, ait Christus Do»minus Cant. 7. num. 8. *Dixi ascen»dam in palmam, et apprehendam »fructus ejus; et erunt ubera tua, ut »botri vineæ.* Ubi Divinus Sponsus »Crucem ascendit, in Crucis palmam »ascendit, ejusque fructum hominum »nempè redemptionem collegit. Quid »statim in Sanctissima Matre ejus se»quitur? *Erunt ubera tua sicut botri »vineæ.* Cur cum Christo Crucifixo »materna ubera tantam largitatem, »abundantiam, ac dulcedinem effun-

(1) Ibid. quæst. 4. num. 34.

»dent ut botri totius vineæ? Sanè ad »Christum recenter natum data sunt »Mariæ, ubera de cœlo plena, at ad »Christum Crucifixum quid Mariæ ube»ra conducunt? Hæc plenissima ubera »non ad Crucifixum spectant, sed ad »regeneratos per illum Filios spiritua»les Mariæ. Ex quo Filio Crucifixo asti»tit, sic ubera ejus sunt plena pietatis »ac misericordiæ, ut omnibus redemp»tis à Filio procuret gratiam, et salu»tem: tam largiter ad omnes extendit »sua pietatis ubera. Guillelmus Abbas »apud Delrium sic ex ore Christi fa»tur: Cum ascendissem palmam tu, ò »Pia Mater, stabas juxta palmam, esta»bas juxta Crucem Jesu tui, et per af»fectum maternum *pariter* crucifige»baris. Porrò cum jam apprehendis»sem fructus palmæ, ubera tua de cæ»tero assimilata sunt botris: habet »enim pia Mater et spiritualia ubera,

„quibus datum est illi adoptivos fratres „Filii sui nutrire. De iis ergo dictum „est piæ Matri: erunt ubera tua sicut „botri. Planè illa quotidiè parturiens „infirmiora membra Filii sui, nemi-„nem à suæ pietatis sinu repellit, sed „potius invitat, et trahit universos."

Hæc Abbas Guillelmus, cum ipso-que Sylveira, quæ ad nostrum aper-tiùs intentum Carthusianus his con-firmat verbis (1): "Multo dolore, ac „angustia stabat Virgo juxta Crucem „Filii patientis, cujus defluente san-„guine spiritualiter repleta sunt ube-„ra Matris, ut filiis suis adoptivis „cœlestia alimenta præberet." Ac etiam (nobis superadjicere licebit), ut omnes pasceret, oves et hædos, jus-tos et peccatores, utpotè cunctorum Piissima et Dolorosissima Pastrix ip-sorum. Ad hoc siquidem officium,

(1) Lib. 2. de Laudib. Virg.

ministeriumve amoris talia ibidem ei ubera conferuntur pietatis sic plena; quæ cum vidisset Filius, nosque miseros peccatores quasi oves errantes, fameque pereuntes, illi denuò nostræ munia imposuit Matris, atque Pastricis, quæ ad sua ubera nos semper famelicos pasceret. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et Discipulum stantem quem diligebat (inquit propterea Evangelista Joannes (1)) dicit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua.

Perpende cum Sylveira: " Non »(ait) *dicit Joanni* (2), sed *Discipulo*: »inter utrumque nomen hæc est diffe»rentia, quod Joannes nomen est par»ticulare unius particularis personæ; » ac vero Discipulus nomen est com»mune, nam omnes, qui eo tempore

(1) Ub. sup. citat. (2) In Evang. tom. 5. lib. 8. cap. 18. quæst. 14. num. 91.

„Christo adhærebant Discipuli vo-
„cabantur. Utitur ergo hic nomine
„communi omnibus, ut denotetur,
„quod ipsa Virgo Maria dabatur om-
„nibus in Matrem." Hac itidem de causa non Mater, sed mulier appellatur à Jesu: Mulier, ecce Filius tuus; ac si apertè dicat: Mulier fortis, et provida, quæ quasi navis olim facta es institoris dè longè portans panem tuum: quæ de nocte etiam surrexisti, dedistique prædam domesticis tuis, et cibaria ancillis tuis: Ecce Filius tuus: in eo itidem ecce parvulos omnes Evæ filios, ampliusque filios tuos fame pereuntes, esto jam eorum Mater Piissima ipsorum, eorumque esto dulcissima Pastrix omnium.

Quam aptè Joannes Sylveira (1), cujus discursum longè, latèque transcribere non dubitabimus, ut omni-

(1) Ub. sup. quæst. 8. num. 47.

bus compertum appareat, viros undequaque doctissimos nobiscum esse in eodem sensu, et in eadem sententia. Audiamus quippè ipsum sic piè, eruditèque fantem: "Ait Sponsa suo
»dilecto, Cant. 1. num. 7.: *Indica mi-*
»*hi ubi pascas, ubi cubes in meridie*;
»quod Philo Carpathius refert ad ho-
»ram Passionis et Mortis Christi: *Id*
»*ipsum nomen meridiei refert.* Quan-
»do ab hora sexta usque ad nonam
»tenebræ factæ sunt super universam
»terram. Cum de accubitu in Cruce
»requirat Sponsa, statim ei suus di-
»lectus respondit: *Egredere, et abi*
»*post vestigia gregum tuorum, et*
»*pasce hædos tuos.* Ibid. num. 8. Val-
»dè mirum, quod Christus meridiano
»tempore recumbens in Cruce lo-
»quens cum Matre sua, dicat ei: *Pas-*
»*ce hædos tuos.* Petro dicitur Joann.
»21. num. 15. *Pasce agnos meos.* Et

»iterum : *Pasce oves meas*. Oves, et »agni Jesu committuntur Petro; et »Mariæ non agni, nec oves Jesu, »sed hædi, qui ad sinistram sunt, et »longissimè à regno Christi. Cur non »Petro, sed Mariæ committuntur hæ»di, qui peccatores denotant? Cum »ipsa staret juxta Crucem, dantur ei »hædi à Filio, ut ab ipsa pascan»tur (1): nam cum exinde ipsa con»stituta esset peccatorum Mater ei »committuntur, ut ipsa sua oratione, »ac intercessione eos adducat, ac »convertat, ut ex hædis faciat agnos, »et ex his, qui sunt à sinistris, trans»mutet in oves, quæ sunt ad dexte»ram. Pulchrè Guillelmus Abbas apud »Delrio: Piæ Matris hædos vocat (ait) »non quod ipsa fecit, vel vult esse »hædos, qui statuantur ad sinistram,

(1) *Ut ab ipsa pascantur*: quia nempè omnium tunc constituta est Pastrix ipsorum.

„sed quos magis, magisque conver-
„tit in oves, ponendos ad dexteram."
Sicut et in Joanne Baptista nos jam quodam aspectavimus modo, et de Sancto itidem legimus Andrea Corsino Episcopo Fesulano, cujus præsagio miraculi gravida ejus Mater sibi visa est per quietem lupum edidisse, qui ad Beatæ Virginis Carmelitarum Matris ædem pergens, in ipso templi vestibulo statim in Agnum conversus est. Ad eorumque aggregatus est numerum, quibus cum Novarino, jam supra gratulabamur, dicentes: "Fœlices hædi, qui sub
„Virginis ducatu fiunt Agni."

Verumtamen prædictis si omnibus nostrum hic licet qualemcumque superadjicere discursum, fortè à Spiritus Sancti scopo non aberrabimus. Meus utique peramabilis Jesus pascens, cubans, et patiens in Cru-

cis tabernaculo extendebat manus suas tota die ad populum non credentem, ac sibi contradicentem, dolenterque illud aspiciebat impletum Propheticum dictum, ab ipso etiam repetitum [1]: Percutiam Pastorem, et dispergentur oves gregis [2]: omnes enim relicto eo solo fugerunt. Et tactus dolore cordis intrinsecus, non delebo (inquit) hominem, quem formaveram, sicut prius [3], sed ovium sibi commissarum à Patre compassione plenus, momentoque instante suum in ejusdem manus Parentis commendandi spiritum, totam suarum curam ovium suæ committit Matri, eamque in Joannis capite ipsarum constituit Matrem, Curatricem, Nutricem, atque Pastricem omnium. Hincque ei

(1) Zachar. 13. 7.
(2) Matth. 26. 31
(3) Genes. 6. et 7.

dicit: Mulier, ecce Filius tuus solus, fratresque ejus omnes filii item tui erraverunt (1), sicut ovis, quæ periit: unusquisque enim in viam suam declinavit (2): Ecce etiam quomodo pro eis moritur Pastor, moritur justus, et nemo ipsorum considerat (3). Egredere ergo, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos: et pasce non oves, sed hædos, in quos suam ob dispersionem omnes ferè nostræ transierunt et oves. Congrega dispersos Israel, hædosque propter peccatum factos transmutare in oves. Vel ut supra cum Theodoreto dicebamus: Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce, non oves solum, sed etiam hædos tuos: non tantum justos, sed et peccatores: pasce non so-

(1) Psalm. 118. 176.
(2) Isaiæ 53. 6.
(3) In Offic. Fer. 6. in Parascev.

lum paucos hos justos, qui nobiscum sunt in tribulatione positi, nostrarumque sunt socii Passionum, sed etiam peccatores, qui recesserunt à me, et posuerunt me abominationem sibi (1).

Quibus denique expositionibus etiam nobis adjicere operæ pretium erit pusilli gregis Ecclesiæ surgentis exordium. "Sicut enim ex costa »dormientis Adami formata est Eva »(Joannes inquit Sylveira (2)), sic ex »latere Christi mortui formata est »Ecclesia; ita Clemens V. in Clem. »de Summa Trinit. et fide: *Emisso* »*Spiritu* (ait) *Christus sustinuit lan-* »*cea perforari latus suum, ut exin-* »*de profluentibus undis aquæ, et san-* »*guinis, formaretur unica, immacula-* »*ta, ac Virgo, Sancta Mater Ecclesia,*

(1) Psalm. 87. 9.
(2) Ubi sup. cap. 20. quæst. 11. num. 64.

»*conjux Christi, sicut de latere primi* »*hominis soporati, Eva sibi in conju*»*gium est formata.* Divus Cyprianus »lib. de Monte Sina et Sion: *Sanguis* »*et aqua fluebat* (ait) *unde sibi Eccle*»*siam Sanctam fabricabat.*" Quia vero Ecclesia ipsa, quam Dominus Crucifixus sibi ædificare volebat, talis debebat et esse, ut in cunctis nominaretur nationibus: ob hanc enim causam ante mortem suam omnes præparavit impensas. Hincque etiam ut exhiberet eamdem ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut esset Sancta, et Immaculata, properante ejusdem Ecclesiæ formationis momento, suaque instante jam morte, per prius illi sua in Matre paravit, designavit, constituitque lactatricem, curatricem, nutricem, atque Pastricem. Proinde Matri, ut *et*

in ipsam finem penè faceret loquendi (prout Guarricus Abbas meditabatur [1]) dixit Jesus jam ferè mortuus: Mulier, ecce Filius tuus : dixit etiam verè Sanguinum Sponsus : Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos.

Sub horum quippe intelligens typo nasciturae postea Ecclesiæ gregem pusillum. Ut et quodam innuit modo Ludovicus Soto-Mayor [2] prædicta exponens verba Canticorum, ubi ait : "*Pasce hædos tuos juxta taber-*
»*nacula Pastorum*; nempè, non de
»majoribus gregibus, sed de minuto
»aliquo grege Sponsæ commisso, seu
»credito ad custodiendum, cujusmo-
»di sunt hædi seu hinnuli caprarum,
»aut capellæ et agni, atque etiam oves
»seu oviculæ. Hujusmodi enim pecu-

(1) Serm. 4. de Assumpt.
(2) Super hunc locum.

„lium mos est pascere etiam mulie-„ribus, tenerisque pueris. Juxta illud „Poetæ Eclog. 7.

Quid facerem, nec enim Alcipem, nec
Phylida habebam.
Depulsos à lacte domi, quæ clauderet
agnos.

„Unde Gen. cap. 29. de Rachele, „Sponsa Jacob Patriarchæ, ita legi-„mus: Et ecce Rachel venit cum gre-„ge suo. Et rursus adhuc loquebantur: „Et ecce Rachel veniebat cum ovibus „Patris sui, nam gregem ipsa pas-„cebat. In libro quoque Exod. cap. 2. „legimus: Sephoram sponsam Mosis, „filiamque Iethro Sacerdotis Madiani-„tarum cum sex aliis sororibus suis „oves pavisse. Nam apud priscos He-„bræos, ut Auctor est Clemens Ale-„xandrinus, Strom. lib. 4. etiam puel-„læ regiæ oves pascebant.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

»Ut canit Poeta Eclog. 10. Quare mi-»rum non est si Auctor Cantici hoc »in loco Sponsæ illius magni Pasto-»ris officium, munusque hædos, seu »hinnulos, agnos, et oviculas pascen-»di enigmaticè et artificiosè attri-»buat. Hoc igitur sensu intelligendum »est, quod dicit Sponsus: *Pasce hædos »tuos*, seu hinnulos tuos. Vox enim »Hebræa, pro qua vulgatus interpres »vertit *hædos* propriè significat parva »pecora, seu animalia. Ubi etiam obi-»tèr ponderandum est, quod non di-»xerit Sponsus ad Sponsam, pascere »fac hædos, seu hinnulos tuos, sed »potius *pasce* (supp. per te ipsam). Non »equidem majora illa pecora, seu ani-»malia, sed potius minora. Hæc enim »minora animalia, seu pecora nuper

»nata, in quibus sunt hinnuli capra»rum, et agni, majore indigent ope, »et opera, seu cura, atque custodia. »Unde et Christus Dominus Joann. »cap. 21. Non satis habuit dicere Pe»tro Apostolo (cui quidem totius ovi»lis curam, custodiamque commisit). »Pasce oves meas, nisi etiam diceret, »et quidem prius etiam, atque etiam »idem repetendo, et inculcando: Pas»ce agnos meos ::: Itaque non abs re »magnaque ratione Sponsus hinnulos »caprarum, Sponsæ suæ charissimæ, et »sui amantissimæ, quasi in typo »propter eximium erga ipsum amo»rem, quemadmodum Petro Aposto»lo etiam postea nominatim agnos »pascendos commisit, et singulari»ter commendavit."

Hinc enim etiam clementissimæ Matri, dulcissimæque suæ Sponsæ Mariæ sub eodem typo, eademve me-

taphora, minutum pecus, pusillumve nascituræ gregem Ecclesiæ, et dedit ei in peculium, et illum ipsi commisit tanquam Matri, atque Nutrici: Mulier (dicens) ecce Filius tuus. Ac tanquam Curatrici, atque Pastrici ei etiam, et inquiens: Pasce hædos tuos. Sic enim clementissimus, et patientissimus Dominus in Cruce jam moriens in dulcedinis benedictionibus surrecturæ Ecclesiæ prævenit exordium. Sic itidem hædos, caprarumve hinnulos, aut capellas, et agnos, atque etiam oves, seu oviculas, ex quibus ipsamet constituenda erat Sanctorum Ecclesia, Matri præcommisit ejusdem ipsam statuens Lactatricem, Curatricem, Nutricem, necnon Pastricem, et Matrem.

Quæ quidem omnia, innumeraque alia ineffabilia mysteria voluit Salvator intelligi in prædictis è Cruce ver-

bis ad suam dilectissimam Matrem, ac Sponsam Mariam. Ex quibus non pauca, Cornelius adnotavit Alapide, sic scribens (1): "Rursum Beata Vir-»go relicta fuit à Christo post se, ut »illa Apostolorum, et fidelium foret »Mater, eos lapsos colligeret, afflic-»tos solaretur, titubantes solidaret, du-»biis, et anxiis consolaret, eosque per »omnia dirigeret, instrueret, animaret. »Unde ipsa statim Apostolos à Chris-»to capto difugientes collegit, Petrum »ob negationem Christi pusillanimem »spe veniæ erexit, omnesque morte »Christi turbatos fide Resurrectionis »Christi mox futuræ confirmavit. »Deinde cum Principes Judæorum »Apostolos incarcerarent, flagellarent, »occiderent, ipsa omnes hasce persecu-»tiones, quasi sibi illatas, vividè sen-»tiebat, sed excelso animo superabat,

(1) In hæc verba Joann. sub litt. *D.*

„et Apostolos superare verbo et exem-
„plo docebat::: Hæc omnia prævi-
„dens Christus, dixit: *Mulier* (qua-
„si diceret) O Mater, esto deinceps
„mulier fortis et generosa, quæ mei
„loco sis basis, petra et columna meæ
„Ecclesiæ, ut eam robore tuo fulcias,
„et omnes contra eam tentationum
„procellas tua constantia, consilio,
„oratione elidas, et dissipes, non tan-
„tum nunc, sed et omnibus dein-
„ceps sæculis usque ad finem mundi."

Hæccine ergo ex Alapide summus signavit Pastor cum morti jam proximus suarum curam omnium dereliquit ovium dulcissimæ Matri, adolescentulæque ejus Pastrici, ei dicens: Mulier ecce Filius tuus: ita eam ipsarum constituens Matrem, Curatricem, Nutricem atque Pastricem omnium. Hæcque etiam ex ipso eadem Piissima Mater, et Pastrix superabundantèr im-

plevit post mortem et sepulturam dilectissimi Filii: dumque omnibus explet numeris prælaudata proximè officia Pastricis, muniave Nutricis, ac Matris Ecclesiæ cum Apostolis, Discipulis, cæterisque fidelibus mirabiliori quodam in sensu in ipsa completur illud Ieremiæ propheticum eloquium, quo dixit [1]: Speciosæ et delicatæ assimilavi filiam Sion. Ad eam venient Pastores, et greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt. Ad speciosissimam utique, pulcherrimamque inter mulieres, ac delicatam Pastricem nostram Virginem Mariam *venerunt* tunc *Pastores.* Apostoli nempè, et Discipuli Domini, *et greges eorum*, fideles scilicet omnes; sedentesque in umbra et sub protectione ejus, *fixerunt in ea*

(1) Cap. 6. 2. et 3.

tentoria in circuitu; et jam securè, abundantèr, atque sapientèr illorum *pascet unusquisque* Pastorum *eos*, *qui sub manu sua sunt*. Ut ipsorum quilibet tam Pastorum, quam ovium dicere jam valeat: Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta Dei Genitrix (1). Ac etiam (2): Exultabimus, et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Et denique (3): Domina regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocabit.

Nam hortus conclusus, fons signatus (ex Cantico canit Ecclesia (4)). Emissiones tuæ paradisus, ò Maria. Paradisus certè voluptatis ac deliciarum, sicut hortus irriguus, quem fecit Dominus, ubi tuas opimè omnes

(1) In Offic. Beatæ Mariæ.
(2) Cant. 1. 3.
(3) Psalm. 22. 1.
(4) In Offertor. Fest. Concept.

pascas oves, ac hædos, ubi securè cubent in meridie ad te venientes Pastores, et greges eorum.

Hincque Sponsi verbis tecum Abbas colloquens Rupertus, etiam ait (1): "Hortus conclusus, Soror mea Spon-
»sa es, Dei Genitrix, hortus conclu-
»sus, fons signatus. Emissiones tuæ
»paradisus malorum punicorum cum
»pomorum fructibus. Cyprus cum
»nardo, nardus, et crocus, fistula et
»cinnamomum, cum universis lignis
»Libani myrrha et aloé cum omnibus
»primis unguentis. Fons hortorum,
»puteus aquarum viventium, quæ
»fluunt impetu de Libano. Ecce no-
»vus paradisus, novæ plantationes,
»quas plantavit unus, idemque anti-
»qui paradisi plantator Dominus,
»Deus ::: Mirum quod cum ita sis
»hortus conclusus, ita fons signatus,

(1) In Cant. 4. 12. et seq.

»nihilominus, immo et ampliùs, emit-
»tis omnia bona, quibus mundus im-
»pleatur, et emissiones tuæ paradisus
»malorum punicorum cum pomorum
»fructibus : paradisus Scripturarum,
»vel doctrinæ cum bonis et sanctis
»operibus. Emissiones tuæ, vel para-
»disus tuus Cyprus cum nardo, nar-
»dus et crocus, fistula et cinnamomum
»cum universis lignis Libani, myrrha
»et aloé, cum omnibus primis un-
»guentis. Herbarum aromaticarum is-
»te numerus, scilicet numerus septe-
»narius amicis nostris benè est cogni-
»tus, quod universitatem significet,
»maximèque ex Spiritu Sancto sit sa-
»cratus, Spiritu septiformi, qui hoc
»ipsum operatur, requiescendo super
»me florem primitivum horti hujus :::
»Quidquid gratiarum, quidquid vir-
»tutum, quidquid operationum, cœ-
»lestium mundus accepit, emissiones

»tuæ sunt : ut ubi erant prius spina »et vepres, vepres et carduus, lappa, »et tribulus, urtica et paliurus, uni»versitas nequitiarum, ibi sit Cyprus »cum nardo, nardus et crocus, fistu»la et cinnamomum, myrrha et aloé »universitas gratiarum, juxta numeri »hujus, numeri septenarii Sacramen»tum, cum universis lignis Libani, cum »omnibus primis unguentis ::: Hæc »sunt emissiones tuæ, Soror mea Spon»sa, emissiones horti conclusi, emis»siones fontis signati, paradisus Dei »Patris : hereditas mea dilecti tui Fi»lii Dei, Filii tui : opus Spiritus Sanc»ti, Ecclesia una de multis emissio»nibus tuis, quæ per orbem terrarum »diffusa semper in te respiciet, et ad »nos clamabit de nobis ipsis, vocem »extollens mulier de turba fidelis, di»cens mihi : Beatus venter qui te por»tavit, et ubera quæ suxisti. Tu fons

»hortorum, puteus aquarum viven-
»tium: fons (inquam) hortorum, id
»est, Mater Ecclesiarum: puteus aqua-
»rum viventium, id est, Secretarium
»omnium Scripturarum Sanctarum:::
»Sicut enim in initio fons ascendebat
»è terra, irrigans universam superfi-
»ciem terræ. Sicut (inquam) fluvius
»egrediebatur de loco voluptatis ad
»irrigandum paradisum, qui inde di-
»viditur in quatuor capita. Sic ex te,
»ò amica, ò terra benedicta, fons ille
»ascendit, qui apud Deum erat, et
»vera lux erat, sicut scriptum est:
»Quoniam apud te est fons vitæ, et
»in lumine tuo videbimus lumen. Fons
»(inquam) ille ascendit ex te non prin-
»cipium, sive initium habens ex te,
»sed de corde Patris per occultas vias
»cum omnibus aquis viventibus, id
»est, cum omnibus Scripturis verita-
»tis veniens in te, et æternum sapien-

„tiæ fontem, sive puteum faciens in „te, atque hoc modo ascendit ex te. „Ad quid ascendit? Utique ad irrigan„dam superficiem terræ, ad instruen„dam, sive excolendam Ecclesiam per „universum orbem terræ. Ad hoc „egreditur fluvius de loco voluptatis, „scilicet ad irrigandum paradisum, ad „hoc (inquam) ex te, ò voluptas, si„ve locus voluptatis Dei, initium ac„cipiet Sanctum Evangelium, ut per „universum mundum spirituale irri„get paradisum." Hæc devotissimus Rupertus: quibus perlectis, benè, optimèque perpensis, etsi cuncta corporis nostri membra verterentur in linguas, et omnes artus humana voce resonarent, aut si linguis hominum loqueremur, et Angelorum, nihil reverà dignum Mariæ emissionibus, Pastricisve nostræ magisterio in nascentis Ecclesiæ exordio dicere valeremus.

Equidem si in Ecclesiastico invenimus scriptum [1]: Qui misericordiam habet, docet, et erudit, quasi Pastor gregem suum: quid nunc de Matre misericordiarum, totiusque consolationis Domina à nobis erit dicendum? Nisi quod misericordiam habens ineffabilem, ineffabilemque pietatem, ac dilectionem, ineffabilitèr etiam Apostolos, Discipulos, cunctosque fideles, aut non fideles à morte Christi docuit, et erudivit quasi Pastor gregem suum: imò, utpotè quæ erat Pastrix ab ipso è cruce pendente constituta Domino super illum gregem suum. "Evangelizare, pascere est. Fac opus Evangelistæ et Pastoris opus implesti." Eugenio Pontifici Sanctus scribebat Bernardus [2]. Maria idcircò, ut supernæ, ac sedulæ

(1) Cap. 18. 13.
(2) Lib. de Consider. cap. 3.

munus expleret Pastricis inexplicabilitèr ampliùs omnes quam Apostoli, ac Evangelistæ, ipsismet etiam Apostolis, iisdemque Evangelistis, et Discipulis Ecclesiæ Magistris, cunctisque cæteris evangelizabat Jesum, et hunc Crucifixum.

Ideo etenim à magno Parente Augustino appellatur (1): *Magistra Gentium*: à Sancto Ignatio (2): *Magistra nostræ Religionis*: et à Sancto Antonino (3): *Apostolorum Illuminatrix, et Magistra*. Idcircò etiam Sanctus Cyrilus (4), Episcopus Alexandrinus, sic ipsam Virginem Mariam alloquitur: "Salve Virgo, per quam universa crea-„tura idolorum vesania detenta ad „veritatis cognitionem perducta est."

(1) Serm. 6. de Temp.
(2) Epist. ad Joann.
(3) 4. Part. tract. 5.
(4) Tom. VI. Concil. Ephesin. cap. 6.

Et subinde devotus Idiota (1): "Doc-
»trix fuisti Doctorum, et Magistra
»Apostolorum: unde et Beatus Lu-
»cas, cui inter cæteros Evangelistas
»descriptio Dominicæ Incarnationis
»attribuitur Evangelii seriem à te Vir-
»gine Maria didicisse traditur." Cui
et concordat Sanctus Ambrosius di-
cens (2): "Eadem postea Joanni Evan-
»gelistæ est tradita conjugium nes-
»cienti. Unde non mirum præ cæteris
»locutum mysteria divina, cui præstò
»erat aula Cœlestium Sacramento-
»rum." Et propter hoc absdubio
Sanctus Ildephonsus (3) Virginem Ma-
trem nostramque Pastricem nominat
Evangelistam: et Rupertus Abbas (4),
cum ipsa colloquens, ait: "Horum
»discernendorum utique Magistram

(1) Lib. de Contemp. Virg. cap. 3.
(2) Lib. de Instit. Virg. cap. 7.
(3) Serm. 2. de Assumpt.
(4) Lib. 1. in Cant.

»te esse oportebat, ò Beata Maria, et
»Magistra Magistrorum, id est Apos-
»tolorum. Juxta illud: Fons horto-
»rum, puteus aquarum viventium,
»quæ fluunt impetu de Libano. Cujus
»consiliis (inquit Ildephonsus de Flo-
»res [1]) usi Apostoli sunt ad res fi-
»dei definiendas, ut idem Abbas sta-
»tuit, et probat noster Castro in his-
»toria Deiparæ cap. 19. num. 7. et 8.
»Constat ex Flavio in sua historia,
»anno Christi 34. ubi ita: Sacra Vir-
»go consilio, luce doctrinæ, et ve-
»nerabili vitæ exemplo Collegio præ-
»sidet Apostolico, nihilque grave
»gerunt illi, quod non ejus consilio,
»ductuque gerant. Unde Rupertus
»lib. 5. in Cantica: Pulsandum igi-
»tur erat ad ostium veritatis, et con-
»sulendum oraculum Spiritus Sanc-
»ti, scilicet Sacrarium pectoris tui,

(1) In Eccles. num. 130.

»ut viva voce omnem necessario »tenendam demonstrares regulam fi»dei cum testimonio Scripturarum, »quas memoriter tenebas Prophetisa »magna."

Consonat etiam Richardus à Sancto Laurentio, de Virgine sic alloquens (1): "Maria Apostolorum Magis»tra facta est, qui nostri postea Ma»gistri facti sunt, et ascendente Do»mino Apostolis novum docuit testa»mentum, quod ad docendum nos »iidem Apostoli conscripserunt." Sanctus item Amadeus hæc etiam ad propositum habet verba (2): "Virgo illa »clementissima verbis, atque litteris »suis Apostolos confortabat, et alios »credentes, quæ ut accepit Paulus vas »electionis, ad ipsum Lucam misit,

(1) Lib. 2. part. 2. et in Alfab. Marian. verb. Apostolus.
(2) Tom. 1. Bibliot. Virgin. fol. 709.

„qui antequam fuisset in Arabiam „profectus, voluit Dei Genitricem „videre, quam cum sapientissimè Fi-„lii sui mysteria propalantem audiret, „et veteris testamenti omniumque du-„biorum nodos dissolvere videret, pos-„tratus in terram Christum Dominum, „et Matrem ejus adoravit, dixitque: „Usque nunc à die conversionis meæ „Christum Filium Dei credidi, nunc „ex divinitate Matris Deitatem Filii „clarè cognovi." Rursumque Sanctus Antoninus sic etiam ait (1): "Nul-„la enim creatura pura habuit tantam „cognitionem de divinis rebus, et „pertinentibus ad salutem, sicut ipsa „Magistra Apostolorum, et Evange-„listarum ad docendum eos de mys-„teriis Christi." Item et alibi de ipsa Virgine Matre sic effatur (2): "Plena

(1) In Opusc. De Beata Virgine, cap. 14. §. 4.
(2) Cap. 15. §. 1.

„fuit gratia per doctrinæ communi-
„cationem, ipsa enim Apostolos, et
„Evangelistas, et aliorum Doctores
„de multis instruxit mysteriis. Unde
„et Beda dicit super illud Lucæ Se-
„cundo: Maria conservabat omnia
„verba hæc, conferens in corde suo:
„quia scilicet, mente retinebat illa
„mysteria, ut postea Apostolis ea ex-
„plicaret.

Anonymus autem, seu Daniel Agricola (1) Mariam Christi Substitutam appellat ad docendos Apostolos: sic enim scripsit: "Locum summi „Magistri ad docendos Apostolos „Substituta." Alanus Varensis præfatis Doctoribus assentit, dicens de Maria (2): "Evangelicam præcipua Ma-„gistra edocuit disciplinam, præfecta „illi Sancto Apostolorum Collegio,

(1) Relat. in 2. tom. Bibl. Virgin.
(2) De Laudib. Mariæ Serm. 1.

„quasi in omnibus cœlestis Curiæ Se-„natoribus universum populum sua „institutione præficeret, et tamquam „omnium ore locuta institueret." Unde summo jure Albertus Magnus asserit [1]: Beatam Virginem superexcellentius Apostolatus dignitatem habuisse. Eamdemque doctrinam amplectitur, et prosequitur doctissimus Canisius, asseritque (teste illustrissimo Didaco del Castillo [2]): "Quod „licet Sancti Apostoli per Spiritus „Sancti descensum cognoverint om-„nia, et in omnem edocti pervene-„rint veritatem; tamen quia Beatissi-„ma Virgo Deipara pleniùs per eum-„dem Spiritum Sanctum cuncta didi-„cerat, potuit illos instruere ut per-„fectiùs omnia cognoscerent."

Quæ quidem omnia latissimè, ac

(1) De Laudib. Beat. Mariæ, cap. 157.
(2) In Alfab. sup. cit. loc.

elegantissimè Sanctus confirmat Bernardus, iis dicens verbis (1): "Virgo
„Sanctissima, quæ Salvatorem genuit,
„peperit, et aluit, quæ jugiter ejus
„adhæsit lateri, quæ comes individua
„nullo ferè abfuit itinere, quæ inten-
„ta præ cæteris invigilavit verbo, et
„operi ejus, sola Salvatoris actuum
„insignia, operum opera, meliflua
„prædicationis genera inaudita con-
„tra mundum, et peccatum, et tar-
„tareum rabulam Divinæ severitatis
„acerrima eloquia, quo eis diù inter-
„fuit, specialiùs vidit, secretiùs au-
„divit, citiùs agnovit, propensiùs re-
„tinuit, et Apostolis, aliisque Disci-
„pulis luculentiùs edidit, diligentiùs
„retulit, meliùs indidit, fideliùs tra-
„didit. Hinc est, quod de ea legitur
„in Evangelio (2)): Maria autem con-

(1) Serm. De Beat. Mar. fol. mihi 1691.
(2) Luc. 2.

„servabat omnia verba hæc, confe-
„rens in corde suo. Hinc in ejus laudibus legitur (1): Multæ filiæ con-
„gregaverunt divitias, tu sola super-
„gressa es universas. Licet enim in
„parabolis loqueretur ad turbas, licet
„omnia Apostolis nota faceret ut ami-
„cis, quædam tamen credendum est
„præ cæteris Matrem suam quemad-
„modum dilexisse, ita etiam propen-
„siùs erudisse, quædam ei secretiùs
„intimasse, frequenter eam ad mon-
„tem myrrhæ et ad colles thuris su-
„blimasse, in cellam vinariam occul-
„tasse: Sic prout novit, et voluit,
„gloriam Deificam, et supercœles-
„tem revelasse notitiam (2). Unde Joan-
„nes in Apocalypsi: De throno (ait)
„scilicet de Maria, procedebant fulgu-
„ra, et voces et tonitrua: quia Maria

(1) Prov. 31.
(2) Cap. 4.

„Mater Filii Jesu Christi parabolas, „ænigmata, legalia, et mirifica gesta, „dicta, opera, avidiùs ebibit, fide- „liùs credidit, sinceriùs, luculentiùs- „que aliis edidit."

Sophronius item in eadem fuit mente, proptereaque scripsit (1): "Eximius ille Apostolorum Chorus post „Domini assumptionem non deseruit „eam, inter quos ipsa post Resurrec- „tionem intrans, et exiens familia- „riùs contulit de Incarnatione. Tanto „siquidem veriùs, quanto ab initio „pleniùs per Spiritum Sanctum cunc- „ta didicerat, et perspexerat oculis „universa." Hoc etiam idem Sancta Birgitta fidelitèr enarravit, cum dixit: (2) "Ascendente Filio ad suum „regnum, Virgo Maria in hoc mun- „do ad bonorum consolationem, et

(1) Serm. de Assumpt.
(2) In Serm. Angel.

»errantium correctionem remanere »permissa est. Erat enim Magistra »Apostolorum, Confortatrix Marty-»rum, Doctrix Confessorum, claris-»simum Speculum Virginum, Conso-»latrix viduarum, in conjugio vi-»ventium saluberrima Monitrix, at-»que omnium in fide Catholica per-»fectissima Roboratrix. Apostolis nam-»que ad se venientibus omnia, quæ »de suo Filio perfectè non noverant, »revelabat, et rationabilitèr decla-»rabat."

Abbas deinde Rupertus supra jam citatus, alibi etiam, postquam de Christo Domino mirabiliter est locutus, de ejus iterum inquirendo gloriosissima Matre, sic fatur (1): "Quid »porrò ipsa Mater? Nunquid non sal-»tem ipsa loquebatur, aut loqui po-»terat? Immò ipsam valdè illud de-

(1) In Matth. Cap. 2.

»cebat [1], quod alius Evangelista se-
»mel, et secundo memorat, dicens:
»Maria autem conservabat omnia
»verba hæc in corde suo. Tempus
»tacendi (ait Salomon [2]) et tempus
»loquendi. Discretionem ejusmodi
»Virgo sapiens, et prudens non ig-
»noravit. Inde collaudans eam Spon-
»sus, quod utique fuit illi Deus, et
»Pater Domini nostri Jesu Christi,
»cui concepit, et peperit, dicit in
»Canticis [3]: Hortus conclusus, so-
»ror mea Sponsa, hortus conclusus,
»fons signatus. Denique hoc quidem
»Sponsus Christus Dei Filius conve-
»nienter dicit Sponsæ suæ Ecclesiæ,
»sed hoc ipsum non minus congruè
»dicat Persona Dei Patris dilectæ si-
»bi Beatæ Mariæ, statim subjungens:

(1) Luc. 2. 19.
(2) Eccles. 3. 7.
(3) Cap. 4. 12.

»Emissiones tuæ paradisus malorum »punicorum, cum pomorum fructi»bus. Etiam hoc præmiserat [1]: Favus »distillans labia tua Sponsa, mel et »lac sub lingua tua. Quandiù Filius »hominis manere decuit minoratus »paulo minus ab Angelis, ferè tandiù »fuit, Beatæ Virgini tempus tacendi, »et tandiù tacuit, tandiù in silentio »fuit, velut hortus conclusus: Hor»tus (inquam) conclusus, fons signa»tus: quo accedere, cujus secretum »audire nullus meretur nisi cognitus, »nullus cui talis hortus, talisque fons »clausuram, vel signaculum oris sui »aperire indignum arbitraretur. Ubi »autem gloria, et honore coronatus »est Filius hominis resurgendo, et in »cœlum ascendendo, ubi sedet ad »dexteram Patris, ex tunc eidem Bea»tæ Virgini fuit tempus loquendi, et

(1) Cap. 4. 12.

»hoc amicis, id est, Sanctis Apos-»tolis: et talia loquendi, qualia priùs »portare non potuissent: quod sciens »ipse Filius hominis, dixerat quodam »loco [1]: Adhuc multa habeo vobis »dicere, sed non potestis portare mo-»do. Ubi venit Spiritus veritatis, pri-»mus quidem, et princeps ipse illos »omnem veritatem docuit: sed et ipsa »Beata Virgo testimonium suæ vocis »adhibuit, et taliter locuta est auri-»bus fidelibus, ut proinde rectè di-»cat dilectus ejus Deus: Favus distil-»lans labia tua, mel, et lac sub lin-»gua tua: Emissiones tuæ paradisus, »malorum punicorum cum pomorum »fructibus. Cyprus cum nardo, nar-»dus et crocus, fistula, et cinnamo-»mum, cum universis lignis Libani, »myrrha, et aloé cum omnibus pri-»mis unguentis. Fons hortorum, pu-

(1) Joann. 16. 12.

„teus aquarum viventium, quæ fluunt „impetu de Libano." Hæc Rupertus consequenter ad ejus superiùs dicta, à nobis longè, lateque meritò relata.

Denique ipsemet Beatus Amadeus jam supra laudatus Sanctum Paulum à Beata Virgine etiam instructum asserit, his in persona Pauli eloquens verbis: "Benedicta sis tu Mater Do„mini Dei mei, et Regis omnium, „quia in te omnes thesauros sapien„tiæ, ac scientiæ Dei reconditos vi„deo. Instructus ergo ab eadem de „omnibus secretis abiit in Arabiam, „divini amoris flamma totus ardens, „et totus succensus incendebat om„nes." Dionysium quoque Areopagytam, et Ignatium Sancti Joannis Evangelistæ charissimum Discipulum à Beata Virgine fuisse instructos prosequitur idem Amadeus, teste illustrissimo Antistite Didaco del Cas-

tillo (1). Hinc ergo Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura ipsam laudans Beatissimam Virginem, ei canit (2). "Tu veritas Prophetarum, præ„conium, et Doctrix Apostolorum, „Magistra Evangelistarum." Hinc etiam et nos, ne infinitum auctoritatum, texere videamur processum, ad nostrumque tam ex prædictis, quam ex cæteris Patribus, ac Doctoribus inferentes intentum, asserere jam debemus, quod Beatissima Virgo, nostraque misericordiosissima Pastrix docuit, et erudivit quasi Pastor gregem suum, Apostolos nempe, et Discipulos, omnesque ad ipsam venientes fideles: ipsisque Jesum evangelizans omnibus, cunctorum se ipsam illorum supremam declaravit Pastricem, superexcellentiùs in eis implens, quod

(1) Ub. sup. cit.
(2) In hymn. Te Matrem Dei laud.

continuis à Deo precibus Summo suo petit Ecclesia Pontifici, atque Pastori: Verbo scilicet (1), et exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Ita enim ipsamet Regina Pastorum, cunctarumque etiam Regina Pastricum verbo et exemplo, precibus ac orationibus, auxiliis, et gratiis, prodigiis, et miraculis, omniumque charismatum, ac beneficiorum genere illis, quibus præerat, proficiebat universis, ut in his, sicut et in omnibus, nec primam similem visa est, nec habere sequentem: nec ullus visus sit unquam, viderivè valeat Pastorum, qui tanta, ac talia fecerit opera, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Sic piissima Maria, sic nostra Pastrix dul-

(1) In Collect. pro Pap.

cissima, dum vivit in humanis, pascit oves, et hædos, justos, et peccatores juxta tabernacula Pastorum; juxta Apostolorum doctrinam, quam ab ea utique ipsi etiam Apostoli didicerunt. Sicque itidem utrosque nunc pascit jam regnans in cœlis.

Exeunte enim illa de hoc mundo juvencularum inter, Pastorumque concentus ipsam laudantium, inter se quærentium, atque dicentium: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii (1)? Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata (2)? Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super Di-

(1) Cant. 3. 6.
(2) Ibid. 6. 9.

lectum suum [1]? Inter tales (inquam) adolescentularum, atque Pastorum, Angelorum nempe, Patriarcharum, Prophetarum, aliorumque laudes Sanctorum etiam Dilecti dulcisona Sponsi vox cum ipsa loquentis auditur, eique dicentis: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum. Eadem equidem dilectissima Mater, ac Sponsa Christi suspirans ad ipsum, quampluries repetierat in vita, eique dixerat: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. "Scio satis, ubi »pascas, non cubans (Sanctus expo»nit Bernardus [2]) indica mihi ubi »pascas, et cubes. Non ignoro, ubi »aliis temporibus pascere soleas, sed

(1) Cant. 8. 5.
(2) Serm. 33. In Cant.

»scire velim, ubi in meridie pascas. »Nam in tempore quidem mortalita- »tis meæ, et in loco peregrinationis »meæ consuevi sanè sub tua custodia »pasci, et pascere in lege et Prophe- »tis, et Psalmis de te, necnon Evan- »gelicis pascuis, et apud Apostolos »similiter requievi: frequenter etiam »de gestis Sanctorum, et verbis, et »Scriptis eorum victum mihi, atque »attinentibus mihi mendicavi, ut po- »tui: frequentius autem (quoniam is »magis ad manum fuit) manducavi »panem doloris, et vinum compunc- »tionis bibi, et factæ sunt mihi la- »chrymæ meæ panes die ac nocte, »dum dicitur mihi quotidie: Ubi est »Deus tuus? Nisi quod de mensa tua »(siquidem parasti in conspectu meo »mensam adversus eos qui tribulant »me) de ipsa (inquam) tuæ quidem »beneficio miserationis accipio, in

»quo utcumque respiro, quoties tristis »est anima mea, et quoties contur»bat me. Hæc pascua novi, et fre»quentavi, te secuta Pastorem, sed »indica quæso, etiam quæ non novi:: »Et propterea quæso, ut indices mi»hi ubi pascas, ubi cubes in meridie, »id est, in manifesto."

Præterea "Rupertus, et Guillelmus, »atque ex iis Delrio (Cornelius inquit Alapide (1)) censent his verbis Bea»tam Virginem aspirare primò ad cœ»lum, secundo ad Christum suum. »Quasi diceret: Assume me, quò »assumptus es, ut tecum pascar, te»cum cubem, quæ te olim tam de»votè pavi, et toties cubitum collo»cavi. Emissus es olim è sede magni»tudinis tuæ, ut mecum esses, et »mecum laborares: emitte me nunc

(1) Sup. hunc loc. tert. in sensu sub lit. D.

»de carcere ærumnosæ vitæ hujus, ut »tecum sim, et pausem tecum post »tantos labores materni affectus::: Ad- »dit in meridie, quia ibi sempiterna » meridies est, ibi jugis fervor Divi- »næ claritatis est, ubi cubat Jesus, »ubi quiescit Divinitati unita huma- »nitas. Ibi pia Mater petebat pasci »ab ipso Deo, pasci cum ipso homi- »ne, ibi cum suo Jesu cubare." His igitur affectuosis vocibus, cupidisque clamoribus toties sua in vita à Matre Virgine repetitis, in momento, quo ex hoc egreditur mundo, cum deliciis affluens ascendit de deserto, innixa super suum Dilectum ac Filium, ipsemet iste respondit, et ait: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum. "Dicit ergo »(Eminentissimi Cardinalis Hailgrinii

„hunc locum exponentis verba sunt „ista) Si ignoras te, id est, an ignoras te? quia non solum benemerentes „diligis, sed etiam errantes, et de„vios reducis ad portum salutis? An „ignoras te, quod sis Mediatrix Dei, „et hominum, et peccatores discor„dantes à Filio tuo reducis ad con„cordiam? An ignoras, quod sis pul„cherrima mulierum, et ideo inter„cedendo pro peccatoribus potentis„sima?" Egredere ergo de hoc mundo in cœlum, innixaque super Dilectum tuum abi post vestigia gregum tuorum, Patriarcharum, Prophetarum, cæterorumque Sanctorum, et ascendens in montem Domini, stans in loco Sancto ejus, sedensque ad meæ majestatis dexteram in excelsis, exinde pasce hædos tuos, miseros peccatores, exules filios Evæ, qui manentem non habentes in terra ci-

vitatem, futuram inquirunt, dum à me peregrinantur Domino suo.

Supremo enim isto de hoc mundo exeunte Pastore, ovibus asseveravit suis (1): Expedit vobis, ut et ego vadam. Et hoc non alia certè ratione, nisi quia ipso in cœlum abeunte, ibique ad dexteram Patris sedente, cum dilectissimo valemus jam Apostolo dicere (2): Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: sicque etiam expediebat nobis, ut ejus Sanctissima Mater, nostraque piissima Pastrix è mundo egrediens post vestigia Patriarcharum, et Prophetarum abiret in cœlum, ibique ad dexteram Filii sedens, esset (sicut canit Ecclesia) *Advocata nostra.* "Ipsa est »etiam reconciliatrix (Beatus inquit »Albertus Magnus (3)) quod officium

(1) Joann. 16. 7. (2) 1. Joann. 2. 1.
(3) In Bibl. Marian. sup. Exod. 32. 30.

»assumpsit maximè in cœlum ascen-
»dens: unde designat eam Moyses
»(*Exodi* 32) dicens ad populum, qui
»adoraverat vitulum: *Peccastis pecca-
»tum maximum*. Peccastis, dicit Vir-
»go nostra, facillimè, stultissimè, ve-
»recundissimè, multiplicissimè, ava-
»rissimè, insolubilissimè: Ascendam
»ad Dominum misericorditèr, fideli-
»tèr, solemnitèr, *si quo modo quive-
»ro eum deprecari pro scelere vestro*
»(Gloss.) quod tantum est." Hæc Al-
bertus Magnus; quibus ista etiam
Sancti Antonini adjicere debemus
verba (1): "Advocatum habemus apud
»Patrem Jesum Christum justum, (1.
»Joann. 2.) qui etiam interpellat pro
»nobis, ait Apostolus ad Romanos 8.
»Sed quia non solum Advocatus, sed
»et Judex est constitutus vivorum, et
»mortuorum cuncta itaque discussu-

(1) Part. 4 tit. 15. cap. 14. §. 4.

„rus, ita quod nullum inultum re„manebit; poterat fortè humana (*ti„mere*) fragilitas, et præcipuè pec„cator, cum vix justus ante eum sit „securus, ad eum accedere tanquam „advocatum. Et ideo piissimus Deus „providit nobis de advocata, quæ to„ta mitis, et suavis est, nihil in ea „invenitur asperum, nunquam ex ea „processit verbum durum."

Idcirco ergo expediebat et nobis, qui sumus populus ejus, et oves pascuæ ejus, ut et ipsa Virgo Pastrix in cœlum abiret, ibique talis nostra esset advocata, qualem nostra exigebat necessitas, fiducialiusque prò nobis intercederet (1), nobis succurreret, faveret et nobis. Hincque jam modus apparet et ordo, quo gregem suum Pastor æternus non desserit, sed plusquam per Apostolos suos, per Virgi-

(1) Ut dicitur in Miss. Vigil. Assumpt.

nem Matrem [1], nostramque Pastricem perpetua protectione custodit, regit, pascitque mirabiliter.

Per me (inquit ipsa [2]) Reges regnant, et legum Conditores justa decernunt: Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ac si apertè dicat: Ita sum Regum Imperatrix, regnorum Regina, omniumque Pastrix Pastorum, ut per me omnes illi regnent, regant, pascantque Pastores. Per ipsam enim summi regnant Pontifices, supremique Ecclesiæ Principes; et ut legum conditores justa in suis Bullis, Decretis, ac Rescriptis decernunt. Per ipsam etiam Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, cæterique Ecclesiæ Principes imperant, regunt, ovesque suas pascunt.

(1) Ut in eorum præfatione Apostolorum Ecclesia canit. (2) Proverb. 8. 16.

Denique uti reverà potentes opere, et sermone in Dei Ecclesia justitiam in Congregationibus, Synodis, atque Conciliis decernunt. Ipsa equidem ut horum Pastrix sapientissima omnium, seu ut cunctorum sapientia ipsorum, nam (Scientiarum Sanctarum scientia Maria est, inquit Bernardus [1]) in quolibet habitat eorum consilio, et eruditis omnium interest semper cogitationibus.

Immo ipsa est, quæ in Sanctorum Ecclesia sua homines pascens sapientia, illos facit eruditos, ac doctos. Sic (ut jam vidimus) docuit, erudivit, doctos, eruditosque fecit Apostolos, ac Discipulos. "Sic etiam (citatus in-»quit Ildephonsus de Flores [2]) quot-»quot sapientiæ Christianæ sidera sunt »in hoc Ecclesiæ firmamento, mul-»tisciam cognitionem, et doctrinæ

(1) Serm. 1. de Salv. Reg. (2) In Ec. Num. 130.

»splendorem à Virgine hausere. Sic »Dionysius Areopagita, Augustinus, »Ambrosius, Hieronymus, Ildephon»sus, Thomas Angelicus, et innume»ri alii à Deipara habent Sapientiæ »thesauros.

»Beata Virgo (et hic sequi possu»mus cum Cornelio Alapide [1]) preest »eruditis, et eruditioni cuilibet. Sanc»tus Gregorius Thaumaturgus Neo»cesariæ Episcopus, qui Sanctam Ma»crinam, et per eam Sanctum Basi»lium in fide, et pietate instruxit, »jussu Beatæ Virginis edoctus fuit à »Sancto Joanne Apostolo, qui per »visum apparens tradidit ei symbo»lum, cujus ope ipse cum populo ab »omni Arrii, aliorumque hæretico»rum errore permansit intactus, uti »refert Sanctus Gregorius Nicenus in »ejus vita. Ipsa Sanctum Cyrillum

(1) In Prov. 8. 12.

»contra Nestorium docentem, Beatam »Virginem esse Christi-param, non »Dei-param, non tantum erudivit, »sed et armavit, effecitque ut Nesto»rii blasfema lingua computresceret, »isque miserè animam exhalaret. Ipsa »Sanctum Joannem Damascenum con»tra Copronymum, Leonem Isaurum, »cæterosque Iconoclastas ad eos debel»landos instruxit. Ipsa Sanctum Do»minicum contra Albigenses instituit, »effecitque ut hæresim per se, et suos »aboleret. Denique celebre illud Eccle»siæ in officio Deiparæ elogium: *Gau»de Maria Virgo, cunctas hæreses sola »interemisti in universo mundo.* Taceo »Rupertum Abbatem Tuitiensem, Al»bertum Magnum, Hermannum Con»tractum Comitem, pluresque alios, »qui cum rudi essent ingenio, ope »Virginis acumen mentis, quin et »Philosophiæ, Sacræ Scripturæ, Theo-

»logiæ aliarumque scientiarum peri»tiam insignem sunt adepti." Et hoc certissimè (audemus adjicientes et nos dicere) ut per suam istis communicatam, participatamque Sapientiam nostra è cœlo piissima Pastrix pasceret omnes oves, et hædos, justos, et peccatores.

Ast ne tantum illos sapientia pascit? Minime quidem. Pascit et virtutibus, gratiarum pascit auxiliis, cunctis denique beneficiis ipsis omnibus undequaque necessariis. Quod equidem misericors ipsa Pastrix ad demonstrationem usque convincit, dum dicit (1): Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, et veritatis: in me omnis spes vitæ, et virtutis. Unde nobis nuntiat omnibus, aitque Doctor Angelicus (2): "In

(1) Ecclesiast. 24. 24. (2) Opusc. 8.

„omni opere virtutis potes eam ha-
„bere in adjutorium, et ideo dicit
„ipsa Ecclesiastici 24. In me omnis
„spes vitæ et virtutis. Omnia flumina
„(Seraphicus inquit Doctor Sanctus
„Bonaventura (1)) intrant in mare,
„et omnes gratiæ intrant in Mariam,
„unde ipsa optimè dicere potest illud
„Ecclesiastici: In me omnis gratia
„viæ, et veritatis, et in me omnis
„spes vitæ, et virtutis. Quid mirum,
„si omnis gratia in Mariam confluxit,
„per quam tanta gratia ad omnes de-
„fluxit? Omnia flumina (etiam ait
„Sanctus Bernardinus Senensis (2)) in-
„trant in mare, id est, in Mariam,
„et mare non redundat, redundat ta-
„men in nos per eam mare largi-
„tatis Divinæ, quia de plenitudine
„ejus accepimus omnes, in præsen-

(1) In Specul. cap. 3. (2) Tom. 3. Serm. 2. de nomin. Mariæ, artic. 3. cap. 4.

»ti gratiam, et in futuro gloriam."

Materque est proinde pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ nostræ spei. Sicuti Dionysius Cartusianus his explicat verbis (1): "Sicut increata Sapientia Mater est »harum virtutum eas infundendo per »creationem, seu principaliter pro»ducendo, conservando, nutriendo, »ac perficiendo; sic piissima Domina »nostra earumdem Mater est merito»riè, et instrumentalitèr ac secunda»riò, obtinendo, conservando, alen»do, et ad perfectionem ducendo." Mater omnium denique hominum è Cruce constituta à Filio, et Mater, quæ illos adoptivos filios, oves nempè pascuæ ejus etiam è cœlo (ut de Sancto Bernardo, aliisque legimus (2)) ad suæ pietatis ubera pascit, lacte

(1) Sup. hunc locum, et apud Flores ibid. n. 2103.
(2) In Histor. ejus vit.

utique pulchræ dilectionis, et timoris: lacte agnitionis, ac sanctæ spei: tandem lacte, gratiavè omnis viæ, et veritatis, omnique spe vitæ, et virtutis. Ideo ergo Sanctus Ambrosius ad illa Genesis verba: Deus Patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, et vulvæ, sic ait (1). "Mariæ „dicit ubera, quæ verè benedicta erant, „quibus Sancta Virgo populo Domini „potum lactis immulsit. Unde illa Mu„lier in Evangelio ait: Beatus venter „qui te portavit et ubera quæ suxisti."

Itidem ad illa Canticorum verba: Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli, inquit Guillelmus Abbas (2): "Porrò eo ipso quod sibi „magnum illum hinnulum, id est

(1) Cap. 49. 25. (2) Cap. 4. 5.

„Verbum Incarnatum, corporaliter „genuit, duos sibi hinnulos, scilicet „teneriora ejus membra in utroque „sexu spiritualiter adoptavit: siqui- „dem per hoc, quod facta est Verbi „Mater corporalis, facta est mem- „brorum ejus Mater spiritualis: per „hoc quod caput nostrum secundum „carnem concepit, membra ejus lacte „pietatis alenda suscepit. Habet ergo „unum, quem pro tempore lacte cor- „poreo nutrivit, et gemellos, id est, „ex utroque sexu adoptatos, quos lac- „te pietatis nutrire non desinit." Quos propterea etiam lacte pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, ac sancte spei ut misericors Pastrix semper, et ubique pascit.

Ad hoc ergo, sciens quod de ovibus suis Sanctus prænuntiavit Isaias, dicens (1): Super vias pascentur, et

(1) Cap. 49. 9.

in omnibus planis pascua eorum; et ipsa inquit (1): In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Quoniam (sicut Sapiens scripsit de Sapientia (2)) dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. Ac etiam: Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

Sic enim Galliæ in confinibus Sancto Joanni de Deo Hispano tunc militi in necessitatis conflictu sub pulcherrimæ traditur specie ipsam apparuisse Pastricis (3), suo illum recreasse aspectu, verbis confortasse, potum dedisse, imminentibusque eripuisse periculis. Sic etiam Puero Pastori cu-

(1) Proverb. 8. 20. et 21.
(2) Sapient. 6. 17.
(3) In ejus vit. cap. 3. et ap. P. Isidor. in Pastrice Coronat. Lib. 1. cap. 3. num. 45.

jusdam mulieris terræ Tarraconensis ejus devotissimæ filio non absimili in discrimine occurrit (1), sub eadem se ostendens forma Pastricis, ipsumque ut fratrem consalutavit, à proximo eripuit præcipitio, conduxit, ut requiesceret, in tugurium, suoque de grege inveniendo reddidit securum, quod et facto mane probavit eventùs. Sic denique aliis occurrit quamplurimis, ipsos præoccupans, ut illis se prior ostenderet.

Nam ut Cornelius inquit Alapide: "Beata Virgo velut æternæ sapientiæ „Mater (2), præoccupare dicitur eos, „qui se desiderant, et obviare illis, „qui se inquirunt. Quia nemo tanta „celeritate ad implorandam Virginem „currit, quin ipsa Virgo ad implora-

(1) In cœlo stell. Lib. 3. cap. 3. fol. 203. et apud eund. P. Isidor. cit. num. 44.
(2) In Lib. Sapient. 6. 14. Litt. C.

„torem suum audiendum velocior „præcurrat. Unde Cant. 45. hinnu„lis comparatur: quia ut hi, inter„prete Ricardo Victorino, veloces „sunt ad currendum, ita Beata Virgo „ad succurrendum. Immo et à Divo „Epiphanio Serm. de ejus laudibus: „Currus Cherubicus appellatur, quia „ut hic decem millibus multiplex ci„tatissimus volat; ita et illa innume„ris misericordiæ alis elata festinat, „ut patrocinetur. Nec mirum cum „Matris, non judicis munere funga„tur. Quo nomine velocior aliquando „ad auxilium ferendum virgo Mater, „quam ejus Filius Christus Dominus „videtur, ut Divus Anselmus libro „de Excellentia Virginis capite sexto „asserit: Velocior (inquit) est non„numquam salus memorato nomine „ejus (id est Mariæ) quam invocato „nomine Domini Jesu. Et rationem

„reddit: quia ad Christum tanquam „ad judicem pertinet etiam punire: ad „Virginem tanquam ad Patronam, non „nisi misereri."

Quare ergo si de Christo Domino, qui etiam Judex est, Evangelicus nobis prænuntiavit, dixitque Propheta (1): Sicut Pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit: quis et nunc de misericordiæ Matre idem dicere non audebit? Dicamus igitur, et confidentèr, asseveranterque dicamus: Quod Maria sicut Pastrix gregem suum pascit: in brachio suo congregat agnos, et in sinu suo levat, fœtasque ipsa portat.

Idcircò etiam Sanctus Efrem sic ipsam Dominam salutare non dubitat (2): "Spes desperantium: per te „reconciliati sumus Christo Deo meo,

(1) Cap. 40. 11. (2) De Laud. Beatæ Virg.

»Filio tuo : tu peccatorum, et au-
»xilio destitutorum unica advocata,
»atque adjutrix : tu portus naufragan-
»tium tutissimus, solatium mundi,
»carcere clausorum liberatrix cele-
»berrima : tu orphanorum susceptio:
»tu captivorum redemptio : tu ægro-
»tantium exultatio, et omnium sa-
»lus : tu Monachorum et Solitariorum
»stabilimentum, et spes sæcularium:
»tu Virginum gloria, corona et gau-
»dium : tu mundi lætitia. Et iterum:
»tu enim noster est portus, et præ-
»ses, pia auxiliatrix. Et infra : Ave
»periclitantium auxiliatrix et jucunda
»libertas, fons gratiæ et consolatio-
»nis : ave peccatorum refugium, at-
»que diversorium : ave laborantium
»propitiatorium : ave spes omnium
»proborum adversis casibus afflicto-
»rum, dulce conversorum solamen,
»atque præsidium : ave virorum pari-

"ter, atque mulierum Regina et Pa-
"trona: ave nostra consolatrix, quæ
"mœrores sedasti, et oppressorum mo-
"lestias leniisti, cunctasque oppres-
"siones sustulisti: ave clavis Regni
"Cœlestis: ave portus tutissime in hac
"vita navigantium: ave firma salus
"universorum Christianorum ad te
"sincerè, ac verè recurrentium: ave
"nostra omnium protectio insignis,
"et gloria."

Hæc Sanctus Efrem, similiterque alii sese Sancti explicant Patres, atque Doctores; quibuscum dictis satis, abundèque monstratur, Virgini Matri, nostræque Pastrici propriissimè convenire, quod de Christo Domino Isaias Sanctus prædixit. Immo etiam, quod et ipse Dominus de sè nobis per Ezechielem anuntiavit, ubi dixit (1): Sicut visitat Pastor gregem

(1) Cap. 34. 12.

suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum ; sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis, et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terræ. In Pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum : ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram, et quod abjectum erat, reducam, et quod confractum fuerat, alligabo, et quod infirmum fuerat, consolidabo, et quod pingue et forte custodiam ; et pascam illas in judicio.

Hæc equidem, quæ suis promisit ovibus Pastor Æternus Deus optimus maximus, semper implevit absdubio, indesinenterque implet per illam itidem, quæ dixit (1): Cum eo eram cuncta componens, vel ut legunt alii: Et eram prope ipsum quasi nutricia, id est (Ferdinandus inquit de Salazar (2)): Ad instar nutricis alendo, fovendo, nutriendo omnia. Quæ quidem licet de Increata ibi dicantur Sapientia, de Virgine tamen Matre à tota semper consuevere etiam intelligi Ecclesia. Quin etiam omnia quæ in Scripturis Sanctis de æterna Incarnataque Sapientia scribuntur (si Joanni Driedoni ab initio laudato credimus) Virgini etiam Matri cum Ecclesia adaptare valemus.

"Amplius autem (inquit ille (3)) et »in honorem gloriosæ Virginis per

(1) Proverb. 8. 30.
(2) Sup. hunc loc. n. 387. (3) Ubi sup. citat.

„universum orbem Ecclesiæ canunt „ea, quæ in Psalmis, Proverbiis, et „in Ecclesiastico leguntur de æterna „Dei Patris Sapientia, utpote de Je- „su ipsius Filio: siquidem ea, quæ „Christo sunt propria, sunt partici- „patione quadam communia Ecclesiæ, „et huic gloriosæ Dominæ, quæ ejus- „dem Ecclesiæ constituta est Mater, „et Regina." Implevit equidem Deus, indesinenterque implet nuntiata illa omnia Pastoris munia, ac officia per Christum suam Increatam, Incarnatamque Sapientiam: implevit etiam per Virginem Matrem, nostramque Pastricem, quæ et Ecclesiæ Mater est, ac Regina.

Regina (inquam) de qua dixit Psalmista (1): Astitit Regina à destris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Mater, et repetam, quæ nutri-

(1) Psalm. 44. 10.

cis ad instar cum eo erat, nuncque est cuncta componens, seu utpote Pastrix alendo, fovendo, nutriendove omnia. Quod equidem confessus est, præclarissimisque elucidavit verbis Sanctus Germanus Patriarcha (1), ad ipsam dicens Virginem: "Nullus est »qui salvus fiat, nisi per te, ò Sanc»tissima! nullus est, qui liberetur à »malis, nisi per te, ò Purissima! ne»mo est, cui donum concedatur, ni»si per te, ò Castissima! nemo est cu»jus misereatur gratia, nisi per te, ò »Honestissima!" Consonat Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura (2), sic etiam affirmans: "Gratia enim Ma»riæ colligit malos, impinguat bo»nos, liberat universos." Hinc denique Sanctus clamat Bernardus (3): "To-

(1) Homil. de Zona, et Fasciis Deiparæ.
(2) In Specul. cap. 5.
(3) Sermon. de Nativ. seu de Aquæductu.

»tis medullis cordium, totis quidem »præcordiorum affectibus, et votis »omnibus Mariam hanc veneremur, »quia hæc est voluntas Dei, qui to- »tum nos habere voluit per Mariam." Et alibi ait (1): "Per Mariam spera- »mus nos posse consequi, quidquid »totius bonitatis Auctor dignatus fue- »rit gratiæ, nobis impertiri."

Præcurramus ergo nunc omnia illa optimi Pastoris officia, quæ nobiscum, ovibus scilicet pascuæ ejus, totius Auctor bonitatis semper, et ubique dignatur et facere: fateamurque erit necessè, cuncta per Mariam, per nostram videlicet, suamque adjutricem Pastricem omnipotentem Dominum efficere, atque implere. Per ipsam enim, per quam totum nos habere ipsemet voluit, quod perierat, requirit, quod abjectum erat,

(1) Sup. Salve Regina.

reducit, confractum alligat, infirmum consolidat, pingue custodit et forte. Per ipsam etiam oves visitat suas, eas liberat de locis, in quibus fuerant dispersæ, educit de populis, congregat de terris, easque in terram inducit suam. Per eam denique oves etiam pascit suas in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terræ, pascit et in pascuis uberrimis, in montibus excelsis Israel, pascit ac in herbis virentibus, in pascuisque pinguibus super Israel montes. Enim ipsa (ut pluries antea cum Doctoribus elucidavimus) hortus est conclusus, fons signatus: emissiones suæ paradisus, paradisus certè voluptatis, ac deliciarum, sicut hortus irriguus, quem fecit Dominus, ubi suas opimè omnes pascit oves, et hædos, justos, et peccatores: ubi securè cubant in meridie ad eam venientes Pastores, et greges eorum.

His ergo, innumerisque aliis pene momentis et à Beato Alberto Magno (1) inter cæteras gratia illi tribuitur Pastoris (2), sive Pastricis, et à Doctoribus, illustrissimo nempe Didaco del Castillo (3), Carthaginensis primo, deinde Truxillensis Ecclesiæ in partibus Indiarum Antistitis, ab Ildephonso de Flores (4), et ab aliis,

(1) De Laudib. Beatæ Mariæ quæst. 122. fol. mihi 83.

(2) Ubi ait: Sequitur: alios Pastores. Qualiter hoc donum habuit Beatissima Virgo, quære in tractatu de Sacramento Ordinis, et qualiter nos pavit, in tractatu de beatitudinibus, in gradibus paupertatis. Illud nempe lib. 2. cap. 1. num. 28. per totum: hoc vero quæst. 71. num. 3. hicque ait: In isto gradu fuit Beatissima Virgo, quæ de purissimis carnibus, et sanguinibus suis Viaticum nobis fecit, et confecit, panem scilicet vivum, qui de cœlo descendit, qui est verè vita, quem qui gustaverit, non sentiet mortem in æternum. Hunc autem toti mundo mendico dedit Beatissima Mulier, de qua dicitur in Evangelio: Mulier commiscuit tria sata, donec fermentaretur totum, &c.

(3) In Alphabet. Marian.

(4) In Ecclesiast. à numero 767. usque ad 771.

per integros, quos ad hoc suadendum, elaboraverunt discursus, pascendi, cibandive Ecclesiam ipsimet munus adscribitur. Ac denique à Patribus, Doctoribusque ferè omnibus, jquorum nomina, auctoritatesve referre nimis esset molestum, multifariam, multisque modis pascendi, alendi, cibandive homines ministerium eidem et conceditur. Idcirco idem Beatus Albertus Magnus minimè dubitavit clamare: "Hydria farinæ (id est »Maria (1)) non deficiet, quia semper »potest, et vult dare, quia largissi»ma, quia ditissima, quia gratia ple»na, nec lecythus olei minuetur quo »nos pascit semper, et ungit, et læ»tificabit."

Idcirco etiam ipsam in cœlum ascendentem, seu jam potius ad dexteram Filii sedentem Sanctus Bernar-

(1) In Biblia Marian. sup. 3. Reg. 17. 14.

dus [1] alimenta petens, his obsecrat precibus: "Jam te, Mater misericor-»diæ, per ipsum sincerissimæ tuæ »mentis affectum tuis jacens provolu-»ta pedibus Luna, Mediatricem sibi »apud Solem Justitiæ constitutam, »devotis supplicationibus interpellat, »ut in lumine tuo videat lumen, et So-»lis gratiam tuo mereamur obtentu, »quam verè amavit præ omnibus, et »ornavit stola gloriæ induens, et co-»ronam pulchritudinis ponens in ca-»pite tuo. Plena es gratiarum, plena »rore cœlesti, innixa super Dilectum, »deliciis affluens. Ciba hodie paupe-»res tuos, Domina: ipsi quoque ca-»telli de micis edant, nec puero »Abrahæ tantum, sed et camellis po-»tum tribuas desuper effluenti hydria »tua, quia tu verè Puella es præelec-»ta, et præparata Altissimi Filio, qui

(1) In fine Serm. Signum magnum.

„est super omnia benedictus in sæcu-
„la. Amen." Idcirco tandem Seraphicus noster Doctor Divus Bonaventura (1) post alios Patres, Doctoresque omnes ipsam Virginem Matrem sic salutat, ex ea precatur, eique canit:

Ave Virgo vitæ lignum,
Quæ perenni laude dignum,
Salvo voto quod vovisti.
Mundo fructum attulisti.
Ave David germen justum,
Ut vitalem Dei gustum
Mereamur experiri,
Fac de monte nos audiri.
Ave Virgo vena munda,
Per te vivi fontis unda
Mihi semper irroretur,
Quo cor meum deevrietur.
Ave Virgo lacte lota,
Pasce semper nos, et pota
Deitatis fonte trino

(1) In Psalter. min. sparsim.

De compunctionis vino.
Ave Virgo terra bona,
Tu petenti mihi dona
Panem de te procreatum,
Vinum vera vite natum.
Ave Mater Joseph veri,
Ab interna qui tueri
Semper fame nos dignetur:
Per te illud impetretur.
Ave Virgo, virens salix,
Favus una, fons, et calix,
Quæ Prophetæ Protoplasti
Nectar orbi propinasti.
Ave rerum potens Diva,
Mensæ Dei tu conviva,
Tu medullam da frumenti
Tecum mihi discumbenti.
Ave sidus principale,
Alma Dei Mater vale
In æternum æternorum
Digno sono cymbalorum.
Amen.

En jam (Beatissime Pater) sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Dei nostri, in Monte Sancto ejus: sicut enim audivimus Mariæ Filios, qui surrexerunt, et beatissimam prædicaverunt, Pastricemque acclamaverunt: sicut audivimus et Virum ejus Spiritum Sanctum ipsam laudantem, eique dicentem: Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas: sic tamen et in ipsa vidimus, Civitate nempè Dei nostri, monteque sancto habitationis ejus, quæ universis divitiis, quas cunctæ congregaverunt Filiæ, cunctæve animæ justæ, animarum greges pascentes, supergressa est excellentissimè universas.

Sicut etiam audivimus eumdem Spiritum Sanctum Sponsum cum ex utero in mundum, è templo in sæculum, et è mundo in cœlum ipsa

egreditur, Pastricem illam constituentem, oves commendantem, et hædos, justos scilicet, et peccatores, eique dicentem: Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere ex utero in mundum, è templo in sæculum, et de mundo in cœlum, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum: sic quoque cum Patribus, Doctoribus, Expositoribusque ferè omnibus in Civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, in terra videlicet, et è cœlis ipsam vidimus munia adimplentem Pastricis, justos nempe, et peccatores pascentem.

Hocque etiam (Pater Beatissime) quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ ferè contrectaverunt de nostra, omniumque Divina Pastrice, et testa-

mur, et annuntiamus, Sanctitatique Vestræ repræsentamus, ut in tali, tantaque prædicanda, extollendaque Pastrice, et Sanctitas Vestra societatem habeat nobiscum, potiusve cum Sanctitate Vestra societatem nos habeamus; et ita societas nostra etiam in hac parte sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo, et cum Spiritu Sancto Mariæ Sponso, qui ipsam omnibus præ consortibus suis oleo unxit lætitiæ, cunctorumque hominum constituit, ac enuntiavit Pastricem.

Si ergo, Pater Beatissime, Spiritus Sanctus veniens, et superveniens in Mariam, ipsam constituit, ac populis omnium annuntiavit Pastricem: si eadem Virgo Deipara virtute semper obumbrata Altissimi, talem sese indesinentèr ostendit, oves, et hædos, justos, et peccatores pascens, dum viveret in humanis, nuncque regnans

custodire scientiam, et legem, propterea, veritatemque requirimus ex ore ejus. Loquere ergo jam Domine, quia audiunt servi tui: confirma hoc, quod de Virgine Matre, nostraque Pastrice Deus (ut piè credimus) operatus est in nobis. Audiant, et omnes super hoc, quid in Sanctitate Vestra nobis loquatur Dominus Deus: quoniam (ut fidenter expectamus) loquetur pacem in plebem suam, et super Sanctos suos, et in eos, qui convertuntur ad cor: ad cor utique loquentes Jerusalem, et advocant eam ad gloriosissimam laudandam Deiparam, ad piissimam extollendam Pastricem nostram Mariam.

Quid ultra? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus Deus locutus est (1), quis non prophetabit? Quis

(1) Isaiæ 6. 5.

tacebit? Væ mihi! quia tacui, ejulabat Propheta. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, concinnebat et Psalmista (1). Proh Deus! Deus laudem tuam, laudemve Matris tuæ ne tacueris. Et nunc clarifica illam, tu Domine Sancte Pater, apud temetipsum, claritate, quam habuit, prius quam mundus esset apud te. Cum nempe reverà *evenit*, quod illa, didicimus, testante, dum ait (2): Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens. Ego in Altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Et etiam (3): Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatio-

(1) Psalm. 31. 3.
(2) Eccles. 24. 5. 6. 7.
(3) Ibid. vers. 14.

ne sancta coram ipso ministravi.

Ast, quomodo ministravit? Utique ministravit prævisa ut Pastrix summi, æternique Pastoris adjutrix, adolescentulavè Pastrix: ut Pastrix Agnum Dei ad ubera sua corporaliter, spiritualiterque pascens, ac denique ut Pastrix hinnulos suos (1), homines videlicet cæteros ad ubera etiam suæ pascens pietatis. Et sic (inquit item ipsamet (2)) in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Ut quid ergo hæc in plenitudine Sanctorum detentio tua? ò Maria! Sanè ut de plenitudine tua om-

(1) Ut sup. cum Sancto Bernardo, et aliis dicebamus fol. 50.
(2) Ub. sup. vers. 15. et 16.

nes accipiant Sancti, omnes et justi, omnesque homines: ut de plenitudine (inquam) tua accipiant universi. Dumque cunctos pascis illos, ut universorum Pastrix, qui edunt te, et de te, adhuc esuriant: et qui bibunt te, et de te, adhuc sitiant. Qui audit te, non confundatur: et qui operantur in te, non peccent. Qui elucidant te, vitam æternam habeant.

Elucidemus ergo Mariam, Beatissime Pater, ac Domine, collaudemus Dei, hominumque Pastricem, ut operantes in illa, et de illa non peccemus; ut et illam elucidantes, vitam consequamur æternam. Pater Sancte, venit hora, clarifica Matrem Dei Mariam, ut ipsa Mater Maria in æternum clarificet te. Sic desiderant, sic instantèr petunt, sicque humillitèr et ad aras semper, nunc et ad Sanctitatis Vestræ provoluti pedes pauperes

deprecantur Capuccini omnes, præcipuè Provinciæ Bæticæ, cunctorumque ipsorum nomine illorum minimus universorum.

SANCTITATIS VESTRÆ

Humillimus in Christo Servus, obsequentissimusque Subditus

Fr. Hieronymus Josephus de Cabra,
Provinc. Bætic. Minist. Prov.





